



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum  
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de**

**Coloniæ Agrippinæ**

Capita Tractatus De septem peccatis mortalibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40916**

TRACTATUS  
DE SEPTEM  
PECCATIS MOR-  
TALIBVS.

*Quid sit peccatum mortale.*

CAPVT I.



VM de septem peccatis, quæ vulgò mortalia vocantur, agere debeamus, meritò præmittendum est quid sit peccatum mortale. Videtur autem sic posse describi. *Recessus à regula diuina voluntarius, Dei gratia peccantem primans, & æternæ morti adiudicans. In qua descriptione sex partes continentur.*

Prima est, *recessus*, id est, separatio ab aliquo principio stabili. Peccatum non est aliud quàm separatio ab aliquo principio.

Hoc autem principium explicatur in secunda parte, putà, à *regula*. Regula enim est principium dirigens hominem in sua operatione, per quam cognoscit, quid, & quomodo sit operandum: quando autem homo non facit secundum regulam, tunc recedit ab ea, & talis recessus dicitur peccatum.

Additur tertia pars, *diuina*: nam duplex est regula, vna, quæ dirigit hominem ad operationes artium: vt, quæ docet modum faciendi domos, scamna, militandi, faciendi denique alia huiusmodi: & dicitur regula artis. Altera regula est, quæ dirigit hominem ad operandum secundum virtutes, vt ad suum finem perueniat, & dicitur regula moris, & diuina, quæ quidem regula continetur in præceptis diuinis & humanis, quæ homines Dei auctoritate imponunt. Recedere à priori regula, peccatum est quidem, sed non de quo loquimur modo;

sed dicitur peccatum artis, id est, error quidam artis. Recessus verò à diuina regula, & à præcepto, cui debeat homo se in sua operatione conformare, peccatum dicitur, de quo loquitur in præfenti.

Additur quarta pars, *voluntarius*. Non omnis recessus à regula, etiam peccatum est, sed qui est voluntarius: ut autem aliquod opus dicatur voluntarium, tres conditiones sunt necessariæ.

Vna est, quòd à voluntate procedat, vel quia est actus elicitus ab ipsa, vel quia est imperatus ab ea: quando ergo aliquis a factus in nobis est, qui à nostra non est voluntate, quia nec ipsam volumus, nec voluntas ipsius fuit causa, nullum est peccatum, quia non est voluntarium: vnde excusantur multæ imaginationes turpes & inhonestæ, & cogitationes repentinae, etiam contra fidem, quæ non sunt peccata, cum homo sua voluntate non consentit: nam sæpe ista ab inimici suggestione procedunt.

Secunda conditio est, quòd sit *liberum*, id est, sic à nostra voluntate procedat, quod sit nobis liberum, & illud facere, & non facere: vnde, quæ in nobis necessario eueniunt, quamuis à voluntate proficiscantur, quia deest plena libertas, non dicuntur voluntaria, & sic, nec peccata censenda sunt. Ex hac parte excusantur, saltem à mortali, multi motus repentini ex passione, vel inconsideratione aliqua procedentes, vel ex defectu rationis, quibus homo vult occidere, aut nocere alteri, quos homo, cum suæ potestatis sit, statim prætermittit, & sedat.

Tertia conditio est, ut non procedat opus ex ignorantia regulæ: cum enim aliquis operatus est liberè contra regulam, sed quia ignorabat regulam, & præceptum, quod si scivisset, non utique fecisset, illud tunc opus non censetur voluntarium, nec est peccatum: ut, qui ignorans prorsus esse diem ieiunii sumpsit carnes, vel ignorans esse diem dominicum, fecit opus seruile. Hic tamen attende quòd non semper ignorantia facit opus inuoluntarium, aut excusat, nisi cum est ignorantia eorum, quæ homo non tenebatur scire aliàs, vel, si tenebatur, à se potuit scire, nec per seipsum stetit, quo minus sciret: vnde ignorantia præceptorum Decalogi non excusat, quia tenentur omnes scire, & per seipsos stat quo minus sciant, quia sunt naturalia præcepta, quæ vel ipsa natura docet. Debet ergo peccatum esse recessus à diuina regula voluntarius.

Additur

Additur in definitione, quinta pars, *privans peccantem gratia Dei*. Homo sic per peccatum mortale priuatur gratia Dei; ex amico enim fit inimicus, & cum inimicus est, fit inimicior. Et iste est vnus effectus peccati mortalis, qui dicitur macula. Pukhritudo enim animæ est gratia Dei, qua remota, manet anima deformis.

Alter defectus in in sexta parte descriptionis, *Aeterna morti ad iudicans*. Per mortale enim deputatur homo pœne inferni, quæ perpetua est, quam subibit, nisi ante mortem pœnitentiã peccati egerit.

Huiusmodi autem pœna peccati, duplex est.

Altera consistit in priuatione diuinæ visionis: nam damnatus numquam Deo fruatur: & dicitur hæc pœna damni.

Altera consistit in eo, quod igne torquetur perpetuo: & dicitur pœna sensus. Infligitur autem hæc duplex pœna propter duo, quæ in mortali peccato sunt. Est enim auersio à Deo; cum enim homo mortaliter peccat, à Deo se auertit, dum eius negligit præceptum, & ob hoc ei infligitur pœna damni. Est etiam conuersio ad creaturam: qui enim peccat, in aliqua creatura sibi complacet; ob hoc punitur pœna sensus à creatura ipsa, puta, ab igne. Hæc vtraque pœna dicitur mors animæ, à qua peccatum dicitur mortale, quia talis mortis est causa.

*Quotuplex mortale, & quomodo differat à veniali.*

## CAPVT II.

**P**eccatum mortale duplex est: vnum, quod dicitur absolute mortale: alterum, quod dicitur mortale tantum ex genere. Mortale absolute, & complete illud est, quod definitum est in cap. antecedenti. Id verò est mortale tantum ex genere, quod ex se inductiuum est mortis æternæ, & priuatiuum gratiæ, tamen aliquo antecedente impeditur, ne talem inducat effectum: verbi gratia, est aliquod opus contra aliquod præceptum Dei, hoc mortale est; & si perfectum est, vt consequatur effectum, est mortale absolute: si verò impeditur quò minus talem obtineat effectum, est mortale tantum ex genere.

Impeditur autem peccatum, quo minus sit absolute mortale, dupliciter.

¶ Vno modo ob leuitatē materiæ; vt furari, mortale est contra Dei præceptum; tamen furari quatinum, non est mortale, nec priuat hominem gratia: quamuis non semper leuias materiæ excuset.

Altero modo, ob defectum libertatis, quia homo non erat omninò sui compos; vt, cum quis repentina ira mortem alicui vult infligere, potest esse tam subitus motus, vt non sit omnimodè libertas, & tunc non est mortale perfectum, sed ex genere suo. Actu verò computatur inter leuia peccata, quæ dicuntur venialia. Dices, in quo differt peccatum mortale à veniali? Dico, & nota, pro intelligentia, quòd recedere ab aliquo præcepto contingit multipliciter.

Vno modo, quando homo non agit, quod præceptum est, seu, quod regula diuina agere præcipit.

Altero modo, quando agit contrarium omninò eius, quòd regula exigit; vt, qui occidit, furatur, cum Dominus non occidendum, non furandum præcipiat.

Tertio modo, quando, licet nil agat contra regulam, nec prætermittat id, quod exigit regula, facit tamen aliquid, quod non est secundum finem regulæ; finis enim regulæ Deus est, & beatitudo nostra: in hoc enim ordinantur, & ad hoc nos dirigunt præcepta omnia. Recedit autem homo, cum facit aliquid, quod non est contra præceptum, tamen non est ordinabile in Deum, & hoc dicitur præter regulam, vt verbum otiosum, mendacium iocosum, & alia huiusmodi. Quicquid ergo est contra regulam modo primo, & secundo, est mortale ex genere suo absolute: tertio verò modo dicitur veniale, quod, quia gratia nō priuat, nec æternæ morti adiudicat, facile consequitur veniam, & dicitur veniale.

Mortalia solent diuidi communiter in septem, quæ vulgò mortalia vocantur, includunturque in ista dictione, *Satigra* a nomine, cuiusque peccati sumpta prima litera: V. g. S. per quæ denotatur superbia, & sic de singulis, auaritia, luxuria, ira, gula, inuidia, accidia. Vbi nota, quòd plura multò sunt vitia. Hæc tamen, quia multa ex his oriuntur, ob id separantur ab alijs in hoc numero præscripto, vt habet S. Thom. 2. 2. q. 162. art. 8. Aduerte etiam, quòd ista non bene dicuntur mortalia, sed capitalia, vt habet S. Thom. & Greg. 31. moralium: non enim omnia eiusmodi sunt mortalia, nec ex genere; poterunt tamen

dici

dici mortalia, quia radices sunt multorum mortalium. Et cum de singulis sit agendum, de superbia agendum est primo loco.

*Quid sit superbia.*

CAPVT III.

Superbia sic videtur posse deferri. Est appetitus celsitudinis *peruersus, voluntarius*. Tria prima verba sumuntur ex Augusti. 14. l. b. de ciuitate, c. 13. Vltimum additur à nobis, gratia maioris explanationis.

Dicitur primo loco, *Appetitus*. Superbia enim non consistit in cognitione, sed in appetitu, & volitione: est enim velle quoddam.

Additur secundum verbum, *Celsitudinis*, seu excellentiæ. Velle celsitudinem, & velle esse supra id, quod est: hoc enim superbire est, cum vult homo esse maior eo, quod est. Dico id fieri tripliciter, aut in sua cogitatione, & iudicio, cum vult suo intellectu reputare se supra id, quod verè in se est.

Secundò, in aliorum iudicio, cum vult reputari maior quam sit.

Tertiò, in opere, cum vult id facere, quod superat id, quod verè est, quamuis non se iudicet maiorem, sed tantum sit inconsideratio, qua non aduertit, quantum sit, & quantum possit. Hoc ergo modo superbus appetit celsitudinem.

Additur tertium verbum, *peruersus*, id est, inordinatè, & contra rationem: non enim velle hominem celsitudinem semper est superbia: quando enim id sit secundum rationem, putat, quando, & quomodo, & sine quibus oportet, virtus est magnanimitatis; vt, qui aggreditur magna, debito fine, & circumstantijs, non superbus, sed magnanimus dicitur. Superbia verò est velle esse super id, quod est, contra rationis regulam: superbus enim per se finem constituit in ipsa propria excellentia.

Additur vltimum verbum, *voluntarius*, ad significandum, quod debet hic esse appetitus voluntatis: nam superbia est in voluntate, non in parte sensitua. Et rursus debet esse voluntatis actus liber, & qui in nostra sit potestate, ad exclu-

den-

dendas inclinationes in primos motus, in quibus homo aliquando vult esse super id, quod est: hæ enim non sunt superbia. Dicitur superbia, ut dicit Isidorus, a super, & volo, quasi superbus velit esse super id, quod est.

*Quot species superbiae, & quale peccatum.*

CAPVT IV.

**Q**uatuor sunt superbiae species.

Prima est, cum quis sic appetit suam excellentiam, ut bonum, quod ab altero habet, sibi tribuat, ac si a se esset, ponendo finem in ipsa excellentia.

Hoc pluribus fit modis. Vno modo, cum in sua existimatione, & in iudicio id sibi tribuit; ut, qui scientiam ab altero habitam existimat se a se potius habuisse, appetitu excellentiae.

Altero, cum vult id ita esse in aliorum existimatione, ut, qui vult ab alijs existimari, ac si scientiam a se habuisset.

Tertio, cum vult ipso opere id monstrare, id est, ita se gerit, ac si tale bonum a se habuisset.

Quarto, cum desiderat saltem, & velle a se habuisse tale bonum. His modis ista prima superbiae species exercetur. Non solum autem fit hoc per volitionem modo praedicto, sed per nolitionem, & dolorem: ut, cum homo vult non existimari, vel a se, vel ab alijs talis, ut qui ab alijs bonum acciperit.

Secunda species est, cum bonum, quod ab alio habet absque ullo suo merito, appetit habere, ac si ex suo merito ei esset datum; & hoc eodem modo, aut apud se ita existimando, aut volendo, ut ita ab alijs existimetur, aut ita opere ostendendo, ac si ex suo merito habuisset, aut saltem desiderando: similiter etiam per nolitionem, & dolorem de contrario.

Tertia species est, cum quis sibi vult tribuere excellentiam, quam non habet, aut in sua existimatione, aut aliorum existimatione, aut ipso opere, aut desiderio, & de contrario dolendo.

Quarta species est, cum quis appetit excellentiam supra alios, ponendo finem in ipsa, & hoc eisdem modis, aut in sua, aut in aliorum existimatione, aut desiderio, aut ipso opere,

quia

quia nimirum contemnit alios, aut vult se ab alijs vt excellentem tractari, & de contrario dolet. His omnibus speciebus, & modis fit superbia, quorum cuique erunt exempla facilia: est enim communissima materia. Est autem notandum, quod non semper superbia est mortale, imò frequenter est veniale: est enim mortale in tribus casibus.

Vnus est, cum quis ita superbit, vt Dei habeat contemptum: tunc autem est Dei cōemptus, cum, quod à Deo habet homo, existimat non habere, aut vult ita ab alijs existimari, aut desiderat, aut dolet de eo, aut se Deo æquat, vel anteponit. Talis superbia mortale grauissimum est.

Secundo, cum homo ita appetit suam excellentiam, vt sit paratus Dei præceptum transgredi, & mortaliter peccare potius, quam à sua excellentia cadere.

Tertio, cum sequitur iniuria proximi notabilis, puta, inhonorat, infamat grauitè, vel alia iniuria, quæ mortalis culpa est, afficit. Alijs modis superbia commissa veniale est, sed valde periculosum, quia radix est multorum malorum, & impeditiuum bonorum spiritualium: & meritò: nam, qui se replet excellentia, dignus est, vt à Deo bono spirituali non repleatur, sicut humilitas multa à Deo impetrat, quia per eam homo vacuum coram Deo se representat. Religiosis autem multum est nociua superbia, & spiritualis profectus multum impeditiua.

*De remedijs contra superbiam.*

CAPVT V.

**M**ulta sunt remedia contra superbiam, inter quæ maxime ad rem mihi facere videntur ista quatuor.

Primum est, si homo consideraret, quæ parua sunt bona, in quibus superbit, & quàm minimus sit ipse respectu aliorum. Si superbit homo de scientia, de fortitudine, de nobilitate, de potentia, consideret, quot sint in mundo ipso excellentiores; quod si non inuenit, consideret vel dæmones inferni, qui cum sint inimici Dei, excedunt omnes homines excessu valde magno in bonis naturalibus. Consideret Angelos bonos. Denique consideret alios se maiores.

Secundum est, si consideret, quod omne bonum accepit à Deo, nec est suum, sed Dei, quod potuisset Deus alijs communicare, qui melius ipso vterentur.

Ter-



Tertium est, si consideret, quàm odiosus sit superbus, nõ salum Deo, qui superbis resistit, sed hominibus, qui interius maxime superbiam detestantur, & etiam ipsimet superbi alios superbos ferre non possunt.

Quartum est, si consideret homo, quoties se priuet bonis spiritualibus, & quàm incapax se faciat gratiæ, & donorum spiritualium ob superbiam, quam nihil lucretur ob eam: quid enim habet ex hoc, quòd se magnum existimat, aut ab aliis vult existimari: si enim alij non existimant, sua voluntate id efficere non poterit. Istæ sunt considerationes multum vales contra superbiam, & si his homo adiungat exercitium actus humilitatis, cum diuina gratia præualebit, vique contra vitium hoc, & multum in bono proficiet; & virtutes, & bona, quæ habet, pulchriora erunt: superbia enim maculat, & deturpat omne bonum hominis.

*De vana gloria, & quid sit.*

CAPVT VI.

**V**Ana gloria, sicut præsumptio, & ambitio, ex superbia nascitur. Est autem vana gloria *appetitus gloriæ inordinatus.*

Sunt tres partes.

Prima est, *appetitus*: est enim vana gloria, quædam volitio, seu desiderium, aut complacentia, qui actus voluntatis sunt.

Secunda pars est, *gloriæ*: appetere enim non quæcumque rem, sed gloriam, spectat ad vanam gloriam. In cuius gratiam nota, esse differentiam inter ista, famam, laudem, honorem, & gloriam: fama enim est bona opinio, quæ habetur alicuius: ille enim dicitur habere famam, qui sui habet apud alios bonam existimationem, & opinionem. Mala fama, non fama, sed infamia dicenda. Laus verò est sermo manifestans alicuius boni excellentiam: laudamus enim, cum alicuius excellentiam manifestamus. Honor verò, est reuerentia exhibita alicuius testimonium alicuius excellentiæ ipsius, & maxime virtutum. Gloria verò, est clara cum laude notitia, id est, fama coniuncta cum laude. Appetere ergo hanc gloriam, est vana gloriæ. Et in hoc differt Vana gloria a Superbia: Superbia enim

appetit

appetit excellentiam ; vana autem gloria appetit manifestationem excellentiae, praecipue apud alios. Appetere autem hanc gloriam, non est ex se malum, sed differens, sicut appetere pecunias, quod potest male, & bene fieri. Cum igitur appetitus gloriae est inordinatus, tunc vitium est, ob id, additur tertia illa particula in definitione, *inordinatus*: cum vero est appetitus secundum rationem, tunc non vitium, sed actus bonus est. Superest tamen explicare, quando sit ordinatus talis appetitus, & quando non. Ut igitur sit bonus, & ordinatus, tres debet esse conditiones.

Prima est, ut ista gloria appetatur de eo, quod verè dignum est gloria, id est, de bono aliquo.

Secunda, ut non appetatur gloria maior, quam bonum illud dignum sit.

Tertia, quod sit ob finem bonum, nimirum in Dei gloriam, aut in proximi utilitatem, aut in propriam, siue corporalem, siue spiritualem.

Inordinatus verò est hic appetitus multis modis.

Primo, cum appetitus gloriae est, de eo, quod non habet ipse appetens.

Secundo, cum appetit gloriam maiorem, quam sit dignum opus, de quo appetit.

Tertio, cum appetit gloriam de aliquo, quod non est suum, ac si esset suum.

Quarto, cum appetit gloriam de eo, quod malum est, & indignum gloria.

Quinto, cum appetit gloriam, & non propter debitum finem: debitus enim finis est aliquis ex tribus praedictis. His modis appetitus, seu desiderium, seu complacentia in gloria dicitur vana gloria, & est vitium ex superbia nascens, quamvis ab ipsa differat, ut dictum est.

*Quale peccatum sit vana gloria.*

CAPVT VII.

**V**ana gloria in quatuor his casibus, est mortale peccatum.

Primo, cum est de peccato mortali aliquo: qui enim complaceat, aut appetit laudari de aliquo mortali, peccat mortaliter.

Secun-

Secundò, cum appetitur talis laus ob finem mortalem: ut, qui vult laudari de aliquo facto, ut consequatur finem carnalem fornicationis, aut aliud simile.

Tertiò, cum homo paratus est transgredi, aut de facto transgreditur aliquod præceptum ob vanam gloriam: ut medicus, qui, ne laudem populi amittat, non vult in morbo periculoso, quem non bene dignoscit, socium accipere, mortaliter peccat: similiter, qui errorem docuit perniciosum, & non vult recantare, ne laudem perdat. Peccant isti mortaliter in vana gloria, propter quam Dei transgrediuntur præceptum.

Quartò, cum ob vanam gloriam sequitur notabile damnum proximo: ut, si medicus ignarus laudatur multum ab aliquo, ex qua laude sequitur, ut totus populus ad ipsum concurrat, quem ipse nescit curare, mortaliter peccat, nisi laudem non admittat, dicendo non ita esse. In his casibus, gloria vana peccatum mortale est, in alijs est veniale; quamuis contingat, bona opera, ut ieiunium, elemosynam, & talia huiusmodi facere, propter vanam gloriam. Tale peccatum, nisi aliquid ex prædictis adsit, veniale est; tamen homo talium operum amittit meritum: licet enim in gratia sit, defectu finis debiti operis non sunt meritoria, licet ex se bona sint, & si bonus finis apponeretur, meritoria essent. Vana gloria multas habet filias, quæ ad ipsam ordinantur. Hæ autem sunt octo, puritas, iactantia, hypocrisis, cōtentio, discordia, pertinacia, nouitium inuentio, curiositas, inobedientia. De quarum singulis oportet breuiter tractare, quid, & quale peccatum sint.

Quid, & quale peccatum sit iactantia.

#### CAPVT VIII.

**I**actantia sic potest describi. Est manifestatio excellentie proprie supra id, quod vel in se, vel in aliorum existimatione est, verbis inordinate facta, in qua descriptione aliquot sunt partes.

Prima est, manifestatio proprie excellentie. In hoc enim differt à superbia, & vana gloria. Superbia enim est appetitus excellentie. Vana gloria, appetitus est manifestationis. Iactantia verò, ipsa manifestatio, quam quisque de se facit.

Addi-

Additur secunda pars, quod ista manifestatio fiat *verbis*: iactantia enim potius in verbis consistit: est enim laudare se ipsum.

Tertia est, *inordinate*, id est, contra rationem. Aliquando potest homo absque vitio se laudare, cum bono fine id fit, nec laus est supra id, quod res in se est.

Quarta pars est, cum laus est *supra id, quod res est in se*, vel *in aliorum existimatione*: aliquando enim homo non est excellens in se, & tunc laudare se supra id, quod est, iactantia dicitur. Aliquando, licet sit in se, non tamen ita existimatur ab alijs, & tunc etiam laudare se supra id, quod est in aliorum iudicio, iactantia est, nisi ordinate fiat, vt diximus. Ex his videri potest, quid sit iactantia. Est autem iactantia veniale peccatum ex se. Fit autem mortale in his casibus.

Primo, cum homo se iactat de aliquo peccato mortali, siue quod commisit, siue quod sibi imponitur; vt, qui se iactat de homicidio, adulterio, raptu, vel alio simili: siue illud fecerit, siue non.

Secundo, cum se iactat cum iniuria Dei, quale fuit illud peccatum Regis Tyri, Ezech. 28. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti, ego sum Deus.*

Tertio, cum se iactat cum iniuria notabili proximi, vt Luc. 18. se Phariseus iactabat dicens: *Non sum sicut ceteri homines, raptores, adulteri, vel vt hic publicanus.*

Quarto; cum sequitur notabile detrimentum proximi; vt, qui se magnum iactat medicum, aut aduocatum, cum non sit, vnde alij decipiuntur, & damnum prouenit eis, eo quod ad ipsum confluant, tunc peccatum est mortale ad restitutionem obligans.

Quinto, cum iactantia fit ob aliquem finem, qui sit mortale peccatum, tunc & ipsa fit tale peccatum. Extra hos casus, iactantia fere semper est veniale.

*De Hypocrisi, quid, & quale sit peccatum.*

### CAPVT IX.

**A**ltera filia vanæ gloriæ est hypocrisis. Hæc autem sic potest describi. Est *simulatio virtutis*. In qua descriptione sunt duæ partes.

Ggg

Altera

Altera est, *simulatio*. Est autem simulatio, cum quis fingit opere aliquo se non habere, quod habet, aut habere, quod non habet. Ut enim est mendacium, cum verbo dico aliter, quam sentio, ita est simulatio, cum opere aliter me exhibeo, quam sim, intendens occultare me ipsum.

At quia non omnis simulatio est Hypocrisis, ob id additur altera particula, *virtutis*: simulare enim virtutem, aut sanctitatem, quam homo non habet, aut occultando virtutem, aut manifestando virtutem exterius, hypocrisis est.

Aduerte autem, esse duas species hypocrisis.

Vna est, quando non vult virtutem illam, sed apparere habere eam.

Altera est, cum homo non habet quidem virtutem, tamen simulat se habere, quam non habet. Illa *peior* est quam haec, nam per illam non solum vult homo apparere, sed etiam vult contrarium virtutis. Ut autem, quale peccatum hypocrisis sit, percipiatur, aliquot dicta sunt notanda.

Primum est, hypocrisis, quocumque fine, & bono fiat, semper est peccatum, hoc est Caiet 2.2 q.iii. Vnde si aliquis velit fingere virtutem, ne alios scandalizet, peccat saltem venialiter: & ratio est, quia est mendacium quoddam, & mendacium, quocumque fine fiat, semper est peccatum.

Secundum, hypocrisis in duobus casibus est mortale.

Vnus est, cum est coniuncta cum voluntate transgrediendi præceptum aliquod; ut, cum homo vult fornicari, & apparere curat castus: aut vult iniustum committere, & fingit iustum.

Alter est, cum fit ob finem, qui est aliquod mortale peccatum; ut, qui fingit se doctum, sanctum, ut consequatur Episcopatum, vel beneficium, quo est indignus; aut fingit se castum, ut possit fornicari, si in sua custodia ponatur fornicaria.

Tertium dictum est, in alijs casibus veniale peccatum est.

*De contentione, quid, & quale sit peccatum.*

### CAPVT X.

**T**ertia filia vanæ gloriæ est contentio. Est autem contentio, *sermo contrarius veritatem alterius oppugnans*: cum enim vnus verbo, vel scripto veritatem oppugnare

alte-

Merius vult, contendere cum illo dicitur. Vt autem, quando, & quomodo sit peccatum, dignoscatur, aliquot sunt notanda dicta.

Primum, impugnare veritatem notam, animo disputandi solū, vt fieri solet in scholis, nullū est peccatum, nisi in modo peccet, vt dicitur statim.

Secundo, impugnare veritatem, non tamen animo impugnandi, & contradicendi, peccatum est. Et, si veritas illa erat in Dei honorem, aut proximi notabilem vtilitatem, est mortale peccatum; vt, cum impugnantur res fidei, aut veritates morales, quę in proximo videntur redundare vtilitatem. Cum verò non est talis veritas huiusmodi, quales reperiuntur in huiusmodi scientijs multa, est veniale.

Tertio, hoc etiam dicendum est, cum quis impugnat veritatem, quam putat esse falsitatem, sed absque ratione putat. Vnde non excusantur hæretici impugnantes nostras veritates, licet putent esse falsitatem: id enim temerariè iudicant. Obseruandum hoc totum etiam est in priuatis contentionibus, quas quis facit in colloquijs familiaribus aliquando, cum contentio sit de aliquo, ex quo infamatur proximus, aut damnum patitur: & tunc talis contentio peccatum est mortale, cum graue est detrimentum proximi. Solet & altera via esse peccatum in contentione, puta, in modo: cum enim modus scandalum alijs ingerit, peccatum est.

Similiter, cum in eo miscetur iniuriæ; immò, cum sit cum magna exandescētia, & perturbacione: in hac enim frequenter est aliquod veniale; quamuis cum feruore aliquo, seruato modo, pro loco, & persona, non sit peccatum, immò studiosum sit. Iniuriæ verò, & scandalum, si grauiora sunt, mortale peccatum faciunt in contentione, dum scandalum sit actuum, quod rationabiliter auditores patiuntur. Hic igitur tunc, & ex hac duplici parte contingit, contentionem esse peccatum.

*De discordia, & pertinacia.*

CAPVT XI.

**Q**uartā filia est, discordia, de qua S. Thom. tractat. 2. 2. quest. 37. Est autem discordia, voluntatum contrarietas: cum enim circa vnum & idem vnus vult, alter non

vult dicuntur discordes, id est, diuersi cordis. Cor enim voluntatem significare solet. Aliquando discordia est peccatum mortale, aliquando veniale, aliquando nullum est peccatum. Tunc est mortale, cum vnus ab altero discordat, ex intentione contradicendi, & hoc fine, nempe, vt discors sit ab eo; & est erga rem perniciosam, quia est contra Dei honorem, aut in graue proximi detrimentum: vnde, talis discordia in rebus, quæ ad fidem pertinet, aut in rebus, quæ ad aliorum utilitatem notabilem spectant, mortale peccatum facit. Ex quo fit, vt sit multum periculosa inter eos discordia, qui gubernandi munus habent: tunc enim, his duobus accedentibus, nempe animo discordiæ, & detrimento graui proximi, fit mortale. Cum verò animus est quidem contradicendi, tamen non cedit res contra Dei honorem, aut in graue detrimentum, est veniale. Deficiente verò tali animo, quia reuera discordia est quia vtrique ita ratio dicitur volendum, & ratio probabilis est, tunc nullum est peccatum per se.

Quinta filia, est pertinacia, quæ quidem est animi adhæsiō in propria sententia, plus, quam oportet: quando enim aliqui firmiter tenent sententiam contra alios, quam res ipsa, & argumenta probent, dicuntur pertinaces; & in rebus contra Dei honorem, aut in graue detrimentum proximi, vt fit in rebus moralibus, aut in rebus medicinæ, tunc est mortale: his verò deficientibus, est veniale: pertinetque hoc vitium ad intellectum, sicut præcedens ad voluntatem.

*De curiositate, quid, & quale peccatum sit.*

## CAPVT XII.

**C**uriositas non est propriè filia vanæ gloriæ, quamuis quodammodo reducatur ad ipsam, vt inferius dicemus. Potest autem sic describi, *appetitus sciendi inordinatus*. In cuius declarationem aduerte, duos esse appetitus in homine.

Vnus est, ex parte corporis, & hic est ad cibos, potus, & delectationes carnis.

Alter est ex parte animæ, qua parte homo ex natura rationali constat, & hic est ad scientiam, & rerum cognitiones. Et

sicut

sicut ille nunquam satiatur, sed semper viget adeò, vt sæpè limites rationis excedat, ita etiam hic, ad temperandum hos duos appetitus, ne contra rationem ferantur, duæ ponuntur virtutes: nam temperantia frænât appetitum corporeæ naturæ; studiositas verò, appetitum alterum sciendi. Hæc ita frænât appetitum hunc cognoscendi, vt faciat, ne homo velit scire contra rationem, nec prætermittere ea scire, quæ secundum rationem sunt necessaria. Sæpè enim homines, ob laborem addiscendi, negligunt scire, quæ scire debent: sæpè & ob appetitum plura volunt, quam ponit. Quando ergo homo excedit, vt velit plura scire, quam ratio postulet, tunc est vitium curiositatis: ob id, sic definitur, Est appetitus sciendi inordinatus. Per scientiam autem hic intelligi volumus, nò solum cognitionem, quæ fit per intellectum, sed etiam, quæ fit per imaginationem, & per sensus exteriores, visum, auditum, &c. Dices quando iste appetitus dicitur inordinatus? Dico; tunc dici inordinatum, cum peccatū est, seu contra rationem. Hoc autem quadruplici ex parte provenire potest, nempe ex parte subiecti, obiecti, finis, & circumstantiæ.

Ex parte quidè subiecti, cum homo nò est capax eorum, quæ vult scire: velle enim scire supra proprium captum, & intelligentiam, curiositas est: vnde dicendi sunt curiosi, seculares rudes, qui volunt res arduas Theologicas sibi proponi. Similiter etiam ex parte subiecti, cum res tales non pertinent ad ipsum addiscentem. Etiam religiosus est curiosus, qui vult sibi manifestari negotia militaria, & res seculares, si solum faciat hoc propter cognitionem; secus si id fiat ob proximorum utilitatem, vel Dei honorem.

Ex parte obiecti, multipliciter contingit curiositas.

Primo, cum res, quæ desiderantur sciri, sunt inutiles scienti, quæ nec ad propriam, nec ad proximorum utilitatem, nec ad Dei honorem faciunt: talis curiositas peccatum veniale est, sicut & illa, quæ erat ex parte subiecti.

Secundo, si res sunt noxiæ, nimirum, sunt occasio peccandi: tunc enim, quando res scita est probabilis occasio peccandi, velle eam scire, advertendo periculum, est peccatum: & si est occasio, vel periculum mortalis peccati, tunc curiositas etiam est mortale. Si verò periculum est veniale, erit veniale: vnde, qui scit se multum procliuem in luxuriam, & ex industria vult



videre animalia aliqua inter se coeuntia, mortaliter peccat, quia se exponit periculo probabili mortalis peccati, quamuis, si non esset tantum periculum, esset veniale. Idem dicendum est de lectionibus librorum inhonestorum.

Tertiò, si res sunt prohibitæ: velle enim scire res prohibitas sub mortali, est mortale: unde, velle discere magicas artes, mortale est; sunt enim prohibitæ, Cod. de malef. & mathematicat. Similiter, velle audire ea, quæ in confessione dicuntur, est mortale. Similiter etiam peccat mortaliter monachus, qui per duos menses integros vacat iuri civili, aut medicinæ, si egressus est à monasterio, vt hoc faciat; & similiter etiam est excommunicatus. Similiter peccat mortaliter, & est excommunicatus Sacerdos, qui idem facit: non tamen excommunicatio, & prohibitio ligat non Sacerdotes, licet diaconi sint, aut ordines habeant inferiores; immò licet habeant beneficium, nisi habeant dignitatem, vel personatum; tunc enim excommunicatio hæc ipso facto incurritur, nempe finitis duobus mensibus: non tamen est reseruata, sed potest absolui ab Ordinario. Totum hoc habetur cap. non magnopere, & cap. super specula, ne cleric. vel monach. & cap. i. eodem titulo in sexto.

Rursus quartò, si res sunt malæ: unde qui vellet experiri aliqua arte, & modo, quanta sit delectatio carnalis coitus, solum ob scientiam, mortaliter peccaret. His modis committitur curiositas ex parte obiecti.

Committitur & tertiò ex parte finis: cum enim finis est mortale peccatum, aut veniale, & curiositas est talis: unde, qui vult scire vsuras palliatas, vt eas faciat, mortaliter peccat, licet postea non faciat: similiter, qui vult scire defectus alterius, vt infamet, mortaliter peccat, licet non infamet. Qualis finis est, talis erit appetitus sic sciendi.

Committitur & quartò curiositas ex parte circumstantiæ, quamuis non sit defectus ex alijs tribus partibus. Et hoc multipliciter fit.

Primò, si quis velit scire ita, vt Dæmonum arte scientias compareret, tunc est mortale peccatum.

Secundò, si ita vellet scire, vt alium inducat ad mortaliter peccandum; vt, qui vult scire ea, quæ alius occultare tenetur, ratione iuramenti, vel ratione excommunicationis pœnæ impostæ, vel ratione ipsius secreti, talis cu-

curiositas, quamuis ille talis non manifestet, est mortale peccatum.

Tertiò, cum, vt sciat ea, quæ scire non tenetur, prætermittit scire ea, quæ obligatur scire: vt, si clericus velit scire negotia secularia, prætermittit scire: quæ scire secundum suum statum tenetur. Et denique, cum, vt sciat homo, prætermittit implere præceptum aliquod; vt, qui vt vacet studijs rerum aliquarum non necessariarum, prætermittit audire sacrum in die festo: tunc enim est mortale.

Quartò, cum sequitur scandalum graue aliorum: cum enim ex eo, quod aliquis discere, aut cognoscere vult, quæ non tenetur, dat graue scandalum alijs, graue etiam peccatum mortale est. His omnibus modis committitur curiositas; in quibus octo sunt casus, in quibus mortale peccatum incurri potest: in reliquis veniale est.

*De inuentione nouitatum.*

CAPVT XIII.

**A**lia filia inanis gloriæ, est inuentione nouitatum, quam S. Thom. 2. 2. quæst. 133. articul. 5. & alij multi solent nominare præsumptionem nouitatum. Est autem vitium hoc, cum aliquis vult mirabilia aliqua exhibere, vt laudem aliorum comparet; & quia noua mirabilia solent esse, ob id, vitium hoc dicitur inuentione nouitatum. Fit autem hoc tam in dictis, quam in factis: cum enim aliquis noua aliqua facta, & inuisitata facere vult hoc fine, aut nouas opiniones sustinere, & proferre, inuentor est nouitatum. Est autem hoc vitium ex se veniale, nisi aliqua circumstantia mortalis ei adiungatur, puta, quia est contra Dei honorem, aut in notabile detrimentum proximi, aut in finem mortalem, vt diximus de alijs.

*Quid inobedientia, & quibus sit obediendum.*

CAPVT XIV.

**V**ltima filia vanæ gloriæ est inobedientia: vt autem, quid sit, rectè percipiatur, opus est scire quid sit obedientia. Obedientia igitur est virtus, quæ promptum facit

*hominem ad implendum mandatum superioris, ut tale est. In qua definitione tres sunt partes.*

Prima est, *virtus*. Est enim obedientia, pars quedam iustitie, quæ in voluntate ponitur, ad perficiendum hominem in his, quæ sunt ad alterum.

Secunda pars est. *Quæ facit hominem promptum ad implendum ea, quæ à suo superiore ei mandantur.* Aduerte tamen, quod dupliciter potest aliquis implere mandatum alterius.

Vno modo, materialiter, putà, dum facit ea, quæ alius mandat.

Altero modo formaliter, dum facit ea hac intentione, & motiuo, quia ab alio sibi mandata sunt.

Primum pertinet ad virtutes alias ab obedientia: qui enim credit per fidem, & diligit per charitatem, & suffert labores per patientiam, facit ea, quæ Deus mandat.

Secundum tamen pertinet ad obedientiam: velle enim ista facere, quia Deus ita vult, obedientiæ est: ob id, additur in definitione illa pars tertia, *ut tale est*, id est, obedientiæ est facere mandatum, quia mandatum est. Obedire ergo mandato ad quamlibet virtutem pertinet; & obedientia generaliter quælibet virtus est: tamen formaliter, obedire est vnius, & determinatæ virtutis, ab aliis omnibus distinctæ. Ex hac definitione facile est cognoscere, quid inobediencia sit: est enim *transgressio mandati superiorum, quia mandatum est*. Transgredi enim mandatum materialiter, omnium est vitiorum commune: peccat enim homo recedit à regula rationis, & transgreditur mandatum, hoc motiuo, quia sibi mandatum, & præceptum, & pertinet ad vitium peculiare, quod dicitur inobediencia. Habes ergo quid obedientia, quid inobediencia sit. Dices, quibus est obediendum? Dico, superioribus: non enim est obedientia, nisi ratione alicuius superioris. Vnde, filij parentibus, serui dominis, milites Duci, populi Principibus, clerici Episcopis, religiosi Prælaris, fideles Pontifici, omnes Deo obedire debent: similiter de alijs superioribus dicendum est.

*In quibus est obediendum.*

CAPVT XV.

**O**portet primùm in generali cognoscere, in quibus inferiores teneantur obedire superioribus. Ac erga hoc duo sunt notanda.

Alterum est similiter de communi superiori, in quibus non sit obediendum ei. Alterum, in quibus sit obediendum.

Circa primum aliquot dicta sunt notanda.

Primum est, nullus obligatur obedire suo superiori in actibus interioribus puris, puta, intellectus & voluntatis. Istud est, S. Thom. 2.2. q. 104. art. 5. & communis doctrina. Explico, si superior dicit inferiori, dilige inimicum, vel hunc hominem; aut crede istam opinionem, non obligatur inferior hoc facere; pertinet tamen ad perfectionem obedientiæ, ut ipse S. Thom. dicit, hoc facere, & in his obedire, sed non est obligatio, quia anima ipsa soli Deo subditur. Vnde patet, hominem non potuisse perfici per omnes humanas leges, quæ non obligant ad actus interiores puros, nisi accederet diuina, quæ totum potest obligare hominem, & obligat de facto. Istud dictum limitatur à Sylu. ver. excommunicatio. 7. §. 4. quod intelligitur de actibus puris internis, qui non sunt commisti cum externis: aliquando enim ratione exterioris potest esse obligatio interioris; ut, qui præcipitur aliquid facere, similiter præcipitur, ut velit absolute facere; alias enim non faceret. Et hoc modo in Clem. 1. de stat. monach. excommunicatur monachus, qui sine licentia Prælati confugit ad curias Principum sæcularium, hac intentione, ut suo monasterio nocumentum inferat.

Secunda est. Non est obediendum illi superiori in his quæ pertinent ad statum proprium. Istud est eiusdem S. Thom. ibidem: v. g. Pater præcipit filiæ, ut nubat, aut fiat monacha, non tenetur obedire. Si quis præcipiat alteri, ut viuat in continentia, non est ei obediendum ex obligatione.

Tertium est, non est obediendum inferiori contra præceptum superioris: verbi gratia, quando duo superiores præcipiunt opposita vni, inferior debet obedire superiori maiori prætermisso minori. Vnde obediendum est potius in rebus Ecclesiasticis Papæ, quàm Imperatori & Deo, quàm homini-

bus. Si igitur Papa præciperet alicui, ut resignaret suum beneficium curatum in aliquem indignum, non esset ei obediendum, quia est contra diuinum præceptum. Ita habet Panorm. in cap. inquisitioni, de sent. excomm. & Io. Andr. cum a Deo, de rescript.

Quartum est, nulli superiori præcipienti aliquod peccatum vel veniale, est obediendum. Ita habet cap. literas, de test. spolia. & II. q. 3. can. quid ergo. Hic tamen insurgit dubium, quid debet facere inferior, quando dubius est, an quod ei præcipitur sit peccatum? Dico, debet obedire; ita tenet Syluest. ver. obedientia, §. 2. & habetur hoc expressè, 23. q. 1. can. quid culpatur, ubi statuitur, cum non est certum superiorum factum esse malum, esse obediendum: in dubijs enim debet inferior credere superiori.

Quintum est, nulli superiori præcipienti aliquid, ex quo sequitur scandalum, vel notabile detrimentum aliorum, est obediendum in tali præcepto. Ita habet Pan. ubi supra, & Syluest. ver. obedientia, §. 5. ubi dicunt non esse in hoc obediendum, quamuis superior sub excommunicationis pœna præcipiat: hæc enim non ligat, quando male imponitur.

Sextum est, nulli est obediendum in his, in quibus non est superior: inferior enim solum obligatur obedire in his, in quibus inferior est, ut seruus in seruilibus, filius in rebus domesticis, in disciplina, & sic de alijs. Ita habet Innoc. cap. inquisitioni, de sent. excomm. & est communis doctrina. Vnde si Papa præcipiat alicui, ut donet vineam suam alteri, vel vendat, non tenetur obedire.

Septimum est, nullus obligatur obedire superiori, quamuis cognoscat voluntatem eius, nisi talis voluntas sibi fuerit manifesta exterius, tacite, vel expressè. Ita habent S. Thom. qu. 23. de veritate, & Syluest. ver. obedientia, §. vii. Non tamen negant isti Doctores, esse perfectiorem obedientiam, obedire, & facere voluntatem superiorum, antequam ei manifestetur, sed dicunt non esse obligationem obediendi. Hæc sunt, in quibus nullus obligatur cuiquam superiori citra Deum obedire.

Circa secundum verò, in quibus obediendum sit, regula est generalis, unicuique superiori obediendum est ex obligatione, in his tantum, in quibus est superior. Hic tamen vnum emergit dubium, quid sit faciendum, quando duo superiores æquales præcipiant vni res oppositas; v. g. miles est subditus Duci, &

parenti, si præcipiat parere vnum, quod non potest impleri cū eo, quod Dux præcipit quid faciendum est, an debeat obedire patri in domesticis, an Duci in militaribus? Respōdet Syl. v. obedientia. §. 10. quōd, cæteris omnibus paribus, tum obediendum est ei, qui præcipit in ordine ad nobiliorem finem: vnde, si æquale sequitur detrimentum in re domestica, & in re militari, potius est obediendum Duci, quia præcipit in ordine ad bonum commune, quod nobilius est bono particulari vnius domus,

*De obedientia Religiosorum respectu Prælatorum.*

CAPVT XVI.

**H**Astenus in generali loquuti sumus, quæ sint ea, in quibus obediendum est, nunc ad particularia ista applicare oportet, ac primum de obedientia Religiosorum erga suos Prælatos agere debemus. De quō sunt aliquot dicta notanda.

Et primum est, Nullus Religiosus tenetur obedire suo Prælatō in his, quæ pertinent ad maiorem perfectionem, quam sit religionis, quam professus est. Istud est S. Tho. 2. sent. dist. 44. q. 2. art. 3. vbi dicit, religiosum teneri in his tribus obedire Prælatō; in his nempe, quæ in regula continentur, & in his, sine quibus illa in regula contenta impleri nequeant, & in pœnis inflictis propter culpas cōtra prædicta duo. Si verò aliquis superior vellet alia exigere, quæ ad maiorem perfectionem pertinent, vt ieiunia, disciplinas, & alia, quæ non sunt in regula, quamuis perfectius esset ei obedire, non obligaretur subditus in talibus obedire: non enim votum extenditur ad huiusmodi opera.

Secundum, Religiosus non tenetur obedire Prælatō in his, quæ sunt præter illa tria, putà, nec pertinent ad regulam, nec ad ea, sine quibus regula non seruetur, nec ad pœnam. Ita habet Innoc. cap. veniens, de iureiurando.

Tertium, non tenetur etiam subditus obedire Prælatō in his, quæ sunt contra regulam. Vnde, si Prælatus præcipiat alicui, ne ieiunet tali die, si regula præcipitur hoc ieiunium, non tenetur obedire, licet possit Prælatus dispensare. Ita dicit

Sylu.

Sylu. verb. religiosus. §. 6. Additur, nisi Prælatus id præcipiat ex aliqua causa rationabili, puta, cum ieiunium obellet multum subdito ex alia causa rationabili. Hæc igitur tria dicta hoc vno verbo concluduntur; Non tenetur religiosus obedire Prælato in his, quæ sunt supra, aut præter, aut contra, sed in his, quæ sunt tantum secundum regulam, quam est professus.

Quartum, transgredi mandatum Prælati, est mortale peccatum, Ita habet S. Thom. loco citato, sed declaratur bene à Caiet. ver. præceptum, nimirum cum Prælatus præcipit aliquid cum intentione obligandi ad mortale, quod exprimitur, cum præcipit in virtute sanctæ obedientiæ: cum enim taliter non præcipit, non est mortale, & raro habent Prælati huiusmodi intentiones. Vnde non erit tunc mortale, nisi, quod præcipit Prælatus, sit alias præceptum diuinum aut Ecclesiæ, obligans ad mortale.

*De obedientia respectu legum.*

CAPVT XVII.

**Q**ualiter obedientia legibus sit exhibenda, necessarium quidem, sed difficile est determinare. Oportet primum quid sit lex statuere. Omittis autem alijs definitionibus, quæ plurimæ solent dari, videtur sic posse describi: *Lex est rationis ordinatio homini, quid agendum, qui dicitur non agendum sit, ostendens, in commune bonum instituta.* In qua definitione sunt tres partes.

Prima est, *rationis ordinatio*, id est, principium quoddam per rationem constitutum: est enim lex opus rationis.

Quid autem hoc principium faciat, explicatur in secunda parte, nimirum, *ostendens homini, quid debeat agere, quid debeat cauere.*

Finis autem explicatur in tertia parte, nimirum *instituta in bonum commune.* Leges enim in utilitatem eorum, quibus imponuntur, institutæ sunt. Dicitur lex à legendo, quasi homo in ipsa legat, quod facere debeat; seu à ligando, quasi hominē ligat & obliget facere quod in ea continetur. Solet alijs nominibus appellari: dicitur enim ius, quia iustum statuit in rebus: dicitur præceptum, quoniam imperium instituentis exprimit: dicitur statutum, quia firmitatem debet habere: dicitur constitutio, quia aliquando multi conueniunt ad legem sta-

billendam. Hæc lex quinque actus habet, nempe, præcipere, prohibere, permittere (sunt enim aliquot leges mala aliqua permittentes ad bonum commune.) punire: sunt enim leges aliquot pœnales, pœnam pro malefactis determinantes: præmiare: aliquando enim lex præmium statuit implentibus ipsam, & hoc præcipue conuenit legi diuinæ, iuxta illud Psal, 18, *in custodiendis illis retributio multa.*

Lex in duo diuiditur gênera, in diuinam & humanam.

Lex diuina est, quæ à Deo est immediatè instituta, qualis est Euangelica, quæ à Christo Domino; & lex Moysis, quæ à Deo per Moysen data est.

Humana verò est, quæ ab hominibus est instituta per potestatem sibi à Deo datam, quales sunt illæ, quæ à Principibus, & alijs huiusmodi potestatibus sunt institutæ.

Diuina iterum diuiditur in naturalem, & positiuam.

Lex naturalis est, quæ sic à Deo est data, quòd rationi hominis naturaliter eam insculpsit, ita vt ratio hominis eam dicet. Huiusmodi sunt decem præcepta Decalogi; ita enim Deus ea ordinauit, vt naturale lumen rationis attingat, & cognoscat talia præcepta esse, & esse obseruanda.

Lex verò diuina positiua est, quæ data est à Deo; sed lumen humanum non eam distinguit, nisi prius per reuelationem aliquam ei manifestetur. Huiusmodi fuerunt in veteri testamento leges cæremoniales, & iudiciales multæ; in Euangelio verò sunt præcepta sacramentorum & fidei; sunt enim incognita homini secundum naturam, nec ei innotescunt, nisi per diuinam manifestationem.

Lex etiam humana diuiditur in Ecclesiasticam & secularem.

Ecclesiastica est, quæ à potestate aliqua Ecclesiastica est instituta, nimirum à Papa, Concilio, Episcopo, vel aliquo Ecclesiæ Prælato: diciturq; canonica lex: cano enim idem est, quòd regula, & quamuis omnis lex etiam dici possit, canon tamen attribuitur Ecclesiasticæ regulæ, quæ inter humanas est potissima.

Sæcularis autem aut ciuilis est, quæ à potestate sæculari est instituta, nimirum ab Imperatore, vel Rege, vel Duce, vel Republica, vel ab alio Principe, aut Republica, aut cõmunitate, aut aliquo alio superiori. Est ergo lex diuina naturalis, & diuina positiua, Canonica & ciuilis. Aliæ diuisiones ad rem pertinentes non sunt.

*Quando*



Quando lex vim obligandi habeat.

CAPVT XVIII.

**L** Ex humana non statim obligandi eos, quibus datur, vim habet, sed sunt aliquot conditiones necessariae.

Primo enim debet esse iusta; lex enim humana, cum iniusta est, non obligat. Ad iusticiam autem legis sunt quatuor necessaria, ut tradit S. Tho. p. 2. q. 96. ar. 4.

Vnum est ex parte finis: debet enim institui in commune. Unde leges, quae instituuntur, & dantur communitatibus in bonum vniuersi particularis tantum, sunt iniustae; nisi bonum illius in totam redundet communitatem.

Alterum est ex parte agentis, ut lex instituat ab eo, qui habet superioritatem & potestatem, & ita, ut non excedat limites suae potestatis, aliter efficitur lex iniusta.

Tertium, ut sit materia bona; non contineatur, siue praecipatur in lege res aliqua mala, vel prohibeatur bona.

Quartum est, ut sit forma bona, id est, lex seruet proportionem ciuium, ut non plus oneret eum, qui minus est onerandus: propter quod superius diximus, leges gabellarum, quae extorquent tributum ex his, quae ciues in proprios usus, & sustentationes emunt esse iniustas: tunc enim qui plus indiget, plus soluit, quod est iniquum. Quando ergo in lege ista non reperiuntur, est iniusta, & non habet vim. Tamen notandum est ex eodem sancto Thoma, quod lex dupliciter potest esse iniusta.

Vno modo, quia est contra bonum humanum; ut, quae est in bonum priuatum ordinata, vel excedit limites potestatis, institutionis, vel non seruat debitam formam.

Altero modo, quia est contra bonum diuinum, nimirum, quia praecipit aliquid contra Dei legem.

Si priori modo est iniusta, licet in conscientia non obliget, tamen propter scandalum debet aliquando seruari, iuxta illud Matth. 5. *Qui te angariauerit per mille passus, vade & alia duo, & qui abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium.*

Si vero posteriori modo est iniusta, nullo modo est seruanda; ut, si lex praeciperet non esse colendos Sanctos, non esse adorandam Crucem, esse fornicandum, vel quid simile. Et sic intelligitur istud Actor. 4. *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* Debet ergo primum lex esse iusta, ut vim habeat.

Nec hoc satis est, sed, secundum omnes, necessarium est secundo, vt sit promulgata: ante promulgationem enim & manifestationem, quamuis constet voluntas legislatoris; non habet vim obligandi lex, vt probat So: o lib: r. de iust. q. 1. ar. 1.

Nec adhuc satis est promulgatio, sed debet tertio esse recepta ab his, quibus lex datur, vt habetur can. in istis d. 4. si enim lex promulgata est, sed non recepta, non obligat.

Adhuc hoc non sufficit, sed opus est quarto, vt, postquam est recepta, non sit per aliam contrariam legem, aut consuetudinem derogata. Multi enim extant antiqui canones & leges, quæ olim promulgata & recepta fuerunt, modò tamen non obligant, quia per contrariam consuetudinem, aut leges alias sunt derogata.

Adhuc ista non sufficiunt, vt lex obliget vnumquemque in particulari, sed opus est quinto, vt non sit inuincibiliter, seu probabiliter ignorata. Cum enim aliquis probabiliter, seu inuincibiliter ignorat legem, quamuis ipsam transgrediarur, non peccat. Loquor autem hætenus de lege humana. Aduerte tamen, quòd non quæuis ignorantia excusat à lege, vt alias diximus, sed illa, quando homo ignorat ea, quæ scire non tenebatur; aut, si tenebatur, non potuit scire, nec per ipsum stetit, quò minus sciret. Hæc autem dicitur inuincibilis, seu probabilis. His ergo quinque positis, lex humana vim habet obligandi, siue cano. siue civil. sit. At lex diuina non sic se habet: nulla enim lex diuina iniusta est, nec indiget noua promulgatione, quia iam promulgata & recepta est, nec etiam potest derogari. Sola ignorantia est, quæ excusat ab obseruatione legis huius, sed non naturalis diuina: nullus enim peccans contra præceptum Decalogi excusatur a peccato: nam lex naturalis nunquam ignoratur inuincibiliter, sed crasse, vt habet Sylu. verb. præceptum. §. 7. In sola autem diuina positua locum habet ignorantia: vnde infideles, qui nihil audierunt de Euangelio, nec credunt Christo, non peccant peccatum infidelitatis in non credendo: excusantur enim ob ignorantiam; damnantur tamen propter alia peccata, quæ committunt contra ius diuinum naturale, quod obligantur obseruare.

*Quanta sit legis obligatio.*

## CAPVT XIX.

**L**Ex diuina, tam naturalis, quam positiua, non obligat semper ad mortale: aliquando enim obligat ad veniale. Mendacium enim iocosum, & verbum otiosum, venialia sunt, licet non sint secundum legem diuinam; frequenter tamen obligant ad mortale; præsertim Decalogi præcepta: cum enim non est leuitas materiæ, & actus est deliberatus, mortale peccatum est transgressio. De positiua autem lege, vsus Ecclesiæ, & Doctorum doctrina iam declaratum habet, quando mortale, quando non: at verò de lege humana, tam canonica, quam ciuili, difficultas est. Sunt autem noranda aliqua, in quibus Doctores conueniunt.

Primum est; Possunt huiusmodi superiores, tam Ecclesiastici, quam seculares obligare ad mortale subditos, & facere præcepta obligantia ad mortale. Et in hoc conueniunt Doct. & probatur à Soto, lib. 1. de iust. q. 6. art. 4.

Secundum est, quando superior intendit obligare ad mortale, tunc obligat: quando autem intendit non obligare, non obligat. Itaque illud præceptum obligat ad mortale, cum constat, talem fuisse intentionem præcipientis. Similiter etiam, si constat, non fuisse, non obligat: vnde S. Thomas, 2. 2. quæst. 186. artic. 9. dicit præcepta sancti Dominici non obligare ad peccatum, quia ipse regulæ institutor dixit, & exprimit, se nolle obligare ad peccatum. In hoc etiam omnes conueniunt.

Tertiū est, si quis ex contemptu seu intentione nõ obediendi, vult facere aduersus id, quod ei præcipitur à superiore, licet non præcipiatur sub peccato mortali, peccat mortaliter: verbi gratia, præcipit Prælati inferiori aliquid non obligans ad mortale, si inferior non facit, hac causa, quia non vult obedire, aut ex contemptu, peccat mortaliter. Similiter dicendum est respectu cuiusque alterius superioris, etiam respectu Dei: qui enim consilium diuinum non faceret ex contemptu, vel quia non vult Deo obedire, etiam mortaliter peccaret. Ita habet Caiet. 2. 2. q. 104. art. 2. Sylu. ver. lex, § 8. & ver. contemptus, § 2. In hoc omnes conueniunt.

Quartum est, cum aliquid præcipitur sub poena excommunicationis, aut alterius poenæ, quæ homini in gratia existentis

non

non potest conuenire: vt sub pœna maledictionis à Deo & indignationis Apostolorū, aut alicuius similis, obligat ad mortale; quamuis excommunicatio non imponatur ipso facto: siue enim ipso facto incurratur, siue, excommunicatio non potest fulminari, nisi in materia peccati mortalis.

Limitat autem hoc Caiet. ver. præceptum; quòd, cùm excommunicatio non imponatur immediatè, sed ita, vt admoneatur prius qui est excommunicandus, tunc non facit mortale peccatum talis inobedientia, donec præcedat talis admonitio.

Quintum est. illa lex humana obligat ad mortale; cùm, licet non constet præcipientis intentio, tamen vsus Ecclesiæ, aut Doctores communiter solent interpretari de tali obligatione ad mortale: verbi gratia, est lex ieiunij in Quadragesima non habet expressum, an obliget ad mortale: at communis sensus Ecclesiæ ita interpretatur cum Doctores etiam ita declarantibus; ob id censendum est obligare ad mortale. Similiter etiam dicendum est de præcepto communionis, tempore Paschæ, & confessionis, iuxta cap. omnis vtriusque, de pœnitentiâ & remiss. non enim habetur expressum, an obliget ad mortale; tamen Ecclesiæ vsus ita declarat. In hoc dicto nullus etiam discordat.

Sextum est. Agens iuxta intentionem legis, licet agat contra verba ipsius, aliquando non peccat.

Hoc est dictum etiam commune, & habetur à S. Tho. 1. 2. q. 96. ar. 6. v. g. Est lex, quòd portæ ciuitatis noctu sint clausæ; tamen si accidat, vt hostes insequantur ciues, per quos ciuitas seruetur, essetq; ciuitati damnosum, si non aperirentur; tunc aperire non est peccatum: nam est ob bonum cõmune, quod lex illa intendebat; & si in tali casu esset legislator, vtrique ita iudicaret. Aduertit tamen S. Tho. non licere agere semper secundum intentionem legis contra ipsius verbalem sensum, nisi cum causa vrgens est, & cùm Princeps, seu Superior, cuius est legem interpretari, non adest, nec facile conueniri potest: si enim posset, non liceret tunc cuiilibet sic contra legem agere.

Hæc sunt, in quibus non est discordia inter Doctores erga obedientiam legum, seu præceptorum.

## De diuersitate Doctorum erga legum obedientiam.

## CAPVT XX.

**T**Ria sunt, in quibus Doctores discordant erga obedientiam legum humanarum. In cuius gratiam noranda est distinctio.

Leges humanæ se habent in duplici differentia.

Quædam sunt purè præceptiuæ, quæ aliquid faciendum iubent, vel faciendum prohibent.

Quædam sunt pœnales, quibus pœna infligenda transgressoribus statuitur. Sunt ergo leges Ecclesiasticæ & ciuiles etiam purè præceptiuæ, & utræq; pœnales: & in his tribus est difficultas.

Circa leges Ecclesiasticas, Nauarr. cap. 23. summa, num. 48. & sequentibus; dicit, quod generaliter, quoties in lege Ecclesiastica ponitur verbum exprimens præceptum, aut prohibitionem aut necessitatem, obligat ad mortale; vt, cum dicitur, præcipimus, inhihemus, oportet, debet, & similia. Ratio huius Doctoris est, quia hoc est declaratum iam à Papa, & cum legislator explicat intentionem suam, vt diximus, tenendum est, legem obligare secundum intentionem talem. Quod autem Papa declarauerit, hoc probat ex Clem. xlii, de verb. signif. vbi Clemens Tertius fratribus S. Francisci perentibus, an omnia, quæ in eorum regula erant, ad mortale obligarent, an nulla, præter tria vota respondit, aliqua obligare, pura, quæ sunt per verbum præceptiuum data, alia vero non. Dicit secundo Nauarr. quod, cum non habetur verbum tale, sed dicitur, declaramus, ordinamus, vel est loquutio per modum imperatiuû, id est, fiat hoc, vel illud, tunc non obligat ad mortale, quia non est declarata intentio legislatoris. Probat ex S. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 9, qui ita dicere videtur. Contra primum dictum tenet Caiet. ver. præceptum, vbi dicit, quod quamuis lex verba talia contineat, adhuc non obligat ad mortale, nisi sit materia alicuius momenti. Si enim Decalogi præcepta ex leuitate materiæ obligant ad solum veniale, multo magis præcepta humana. Et ego ita credo: nec argumentum Nauarr. valet: nam Pontifex ille supposebat materiæ grauitatem. Erant enim diuina consilia, quæ monachis tantæ religionis

sunt

sunt res magni momenti. Alterum etiam dictum Nauarr. eodem modo est intelligendum: cum enim res quæ declaratur, grauis est, obligat ad mortale: nec refert illo modo loqui: nam in similibus locutionibus includitur verbum præceptiuum. Nec Sanctus Thomas ira vniuersaliter loquitur, vt dicit Nauarrus.

Circa leges humanas ciuiles est secunda difficultas. Idem Nauarr. tenet, quòd nulla illarum obligat ad mortale, quamuis sit verbum præceptiuum, nisi res quæ præcipitur, sit alio iure diuino vel naturali præcepta: tunc enim obligat, sed ratione iuris præcedentis; vt, lex, quæ prohibet adulteria, obligat ad mortale, sed ratione iuris naturalis, alias non. Ratio eius est; quia non constat, neque est expressa intentio legislatoris volentis obligare ad mortale. Contrarium tenet Soto lib. 1. de iustitia, qu. 6. ar. 4. vbi probat leges humanas obligare ad mortale: nec requirit illam explicationem intentionis: immò dum non constat intentio, quòd noluit legislator obligare ad mortale, tenendum est obligare: intellige cum res est grauis: cum enim leuis est, vt, quòd ciues non induantur serico, vel non habeant tales, vel tales vestes, non esset peccatum mortale aliter facere. Ita ego credo, nam eo ipso, quòd aliquid graue præcipitur, includitur intentio obligandi ad mortale in legibus, nisi contrarium exprimat: immò legislator forsitan non meminit, nec aduertit quicquam de intentione mortalis, vel venialis, sed solum vult obligare. Quanta autem sit obligatio, relinquatur grauitati materiae, quæ præcipitur.

Circa leges pœnales, tam ciuiles, quam Ecclesiasticas, est tertia inter Doctores difficultas. Aliqui enim volunt eas ad nullam obligare culpam, nisi res ipsa alias ex se esset mala, absque tali lege; ita habet præfatus Nauarr. & Casto lib. 1. de lege pœnali, cap. 9. & videtur idem tenere Caiet. verb. præceptum. Tamen contrarium tenet Soto lib. 1. de iust. qu. 6. ar. 5. Sylu. ver. inobedientia. §. vlt. vbi reprehendit distinctionem Henrici, quòd libet. 3. q. 22. & ver. præceptum. §. 3. Idem enim tenet Armill. ver. præceptum, §. 6. Dicunt isti, quòd obligant tales leges ad culpam, & statuunt regulam. Quando in lege humana ponitur grauis & notabilis pœna, vt pœna capitis, aut amissio omnium bonorum, aut perpetui exilij, obligat ad mortale: quando verò pœna non est tam grauis, non obligat, nisi ad veniale: quòd intellige, supposita grauitate

materiae, quae in lege iusta est coniuncta cum gravitate poenae. Ego ita puto dicendum cum istis: est enim communis sententia; & in rebus dubijs non debet homo exponere se periculo peccandi, agendo contra tales leges: videntur enim istae exprimere maiorem intentionem obligandi ipsorum legislatorum, cum non solum praecipiant, verum poenas infligant transgressori. Poenam autem nullus tenetur solvere ante condemnationem, quamvis aliqui putent contrarium: sed opposita sententia communissima & vera est. Vnum autem est argumentum contra istos forte: nam cap. fin. de celebratione Missae praecipitur, ne Latinus in Occidentali Ecclesia consecret in fermentato pane, alias priuatur officio & beneficio. Illa lex est poenalis, & secundum hos non obligat ad mortale; & nullus profecto auderet dicere non esse mortale peccatum, scienter consecrare in fermentato. Lex ergo poenalis obligat. Haec sunt, in quibus non est tanta Doctorum concordia circa obedientiam legibus exhibendam. Tutior pars tamen tenenda est: nam, si leges humanae, & poenales praesertim, non obligant ad culpam, multa fient mala contra bonum commune, nec id affirmare est Doctoris, sed principis, aut alicuius Concilij. Simus ergo in communi sententia.

*De obedientia clericorum ad Episcopum, & filiorum ad patres.*

CAPITULUM XXI.

**E**Rga obedientiam clericorum ad Episcopos aliquot sunt dicta notanda.

Primum est, clerici in his, quae ad statum proprium clericalem pertinent, tenentur suis Episcopis obedire, & absque rationabili causa nolentes obedire in re graui praecipit Episcoporum mortaliter peccant, ut tenet Sylu. verb. obedientia §. 7. & Angel. ibid. nu. 9. Si ergo Episcopus praecipit clerico, ut talis vestitu utatur propter modestiam, ut taliter se gerat erga cultum diuinum, tenetur obedire.

Secundum est, laici etiam tenentur obedire Episcopis, in his, quae ad salutem ipsorum spirituales pertinent. Ita habent Innoc. & Panor. cap. veniens, extr. de sent. excomm. In his ergo quae ad factorum susceptionem, & praecipitum Ecclesia-

stico.

sticorum, & diuinorum impletionem spectant, debent laici obedire superioribus Ecclesiasticis.

Tertium est, clerici non sunt subditi sæcularibus potestatibus, nisi sit ex Pontificis aliqua concessione, ita habetur cap. Ecclesia, de constitutio: unde non tenentur obedire ipsorum præceptis, nisi in his quæ faciunt clerici vt sæculares, seu laici: unde, si in negotijs & contractibus sæcularibus se ingerat clericus, stare debet statutis sæcularium Principum.

Erga obedientiam filiorum ad patres, id vnum notandum est, teneri obedire parentibus, dum sub eorum sunt potestate, in his, quæ ad res domesticas, & bonos mores pertinent; & in re graui nolle acquiescere parentum præcepto, mortale est, vt tenet Sylu. ver. obedientia. §. 1. & Angel. ibid. num. 1. Quando ergo mater præcipit filiæ, ne inhonestè viuat, obedire tenetur: & quando præcipit pater filio, vt literis vacet, vt abstineat à mala aliqua conuersatione, vt domus curam habeat, obedire tenetur. Attende autem, quod spernere parentum consilia, vel præcepta, etiam obligantia ad veniale; aut nolle facere hoc motiuo, vt non obediant (dico autem spernere positiuè, quia paruipendunt parentum obligationem) mortale est, vt superius diximus cap. 19. Ista sufficiant modò in particulari attigisse de inobedientia.

*De præsumptione.*

CAPVT XXII.

**A**ltera filia superbiæ, secunda post vanam gloriam, præsumptio est. Hæc autem potest sic describi. *Est appetitus se exhibendi supra propriam potestatem.* Cum enim homo vult dicere, vel facere supra id, quod verè potest, ac si talia exhibendi haberet potestatem, dicitur præsumptuosus. Est autem præsumptio in quibusdam casibus mortale peccatum.

Primò, cum præsumptio coniuncta est cum notabili damno proximi, vel saltem periculo talis damni, vt, qui, cum ignarus sit medicinæ, aut parum sciat, vult exercere medendi artè; & qui ignarus est legum, patrocinandum munus assumit; & qui nescit Theologicas veritates, vult concionari populo de rebus multum arduis.

Secundò, quando est vsurpatio alicuius dignitatis, aut of-



ficij ſæcularis vel Eccleſiaſtici; vt, qui audit confeſſiones, cum non habeat facultatem; aut iudicat, cum non habeat poteſtatem.

Tertiò, cum exponit ſe periculo mortaliter peccandi; vt, qui cognoscens ſe ſæpè labi in mortale, cum alloquitur feminas ſolus, adhuc vult, confidens ſuis viribus, alloqui. Immo etſi confidat diuinæ gratiæ, cum homo alias de ſe habeat prædictam experientiam: tunc enim eſſet tentare Deum: ſecus, cum homo non haberet talem notiſiam periculi, cui ſe expoſuit. In his caſibus mortale eſt præſumptio, in alijs frequenter eſt veniale. Eſt etiam alia præſumptio, quæ eſt contra ſpem, vnam ex virtutibus Theologicis, de qua S. Thom. 2. 2. q. 21. hæc autem eſt, cum homo plus fidit diuinæ miſericordiæ, quam debeat: tunc autem fidit plus, quam debet, quando contra diuinam legem aliquid à Deo ſperat; vt, qui putaret, ſeu vellet ſola diuina miſericordia ſaluari, nullo ſuo exiſtente opere & merito: & hæc, cum actus perfectus exiſtit, eſt mortale peccatum.

*De ambitione.*

CAPVT XXIII.

**T**ertia filia ſuperbiæ eſt ambitio. Hæc autem eſt appetitus inordinatus honorum & dignitatum, Ex genere ſuo non eſt mortale, ſed veniale. In aliquibus caſibus eſt mortale.

Primò, cum appetitur honor de aliquo mortali peccato: vt enim laudem de mortali peccato velle, eſt mortale, ita & velle honorem & dignitatem pro mortali.

Secundò, cum appetitur honor vel dignitas modo illicito, qui eſt mortale peccatum, vt velle dignitatem per ſimoniam, uſuram, homicidium, vel per dolum & fraudem.

Tertiò, cum ponitur vltimus finis in ipſo honore & dignitate, puta, cum homo paratus eſt mortaliter peccare, vt dignitatem conſequatur. Hoc modo peccat, qui, cum ſit indignus Episcopatu, vel beneficio aliquo curato, ipſam deliberate appetit. Male enim appetitur id, quod abſq; peccato retineri non poteſt.

Quar

Quartò, cum propter finem aliquem, qui sit mortale peccatum, appetitur honor vel dignitas; vt cum appetitur propter vindictam, vel ad alium malum vsum mortalem. His modis ambitio mortale peccatum est, in reliquis verò veniale est.

De Auaritia, quid sit.

CAPVT XXIV.

Secundum capitale vitium est Auaritia, de qua tractat S. Thom. 2. 2. quæst. 118. Hæc autem sic potest describi. *Est amor immoderatus habendi.* In qua descriptione sunt tres partes.

Prima est, *amor.* Est enim Auaritia, appetitus, & affectus quidam, pertinetq; ad voluntatem.

Secunda pars est, *habendi.* Per hoc vocabulum intelligimus res viles, puta, pecunias, & alia, quæ pecunia æstimantur, ad proprios vsus, qualia sunt pecora, vineæ, domus, & alia huiusmodi, quæ diuitiæ vocantur. Amor enim horum, est Auaritia, si accedat tertia pars definitionis, nempe, quod sit *immoderatus*, puta sine modo, & regula, seu mensura rationis.

Aduerte autem, quod Auaritia consistit in his casibus & actibus, vt, in retinendo pecunias, & res alias viles præter modum, puta, non dando, quando, quomodo, & quibus oportet; aut in acquirendo huiusmodi, & congregando præter modum; aut tertio in immoderato affectu erga res huiusmodi.

Aduerte rursus, quod auaritia non solum consistit in ordine ad alterum, puta, non dando alteri, aut accipiendo ab altero, sed erga seipsum potest homo esse avarus, cum sumptus necessarios sibi negat ex affectu pecuniæ. Habemus ergo ex his, quid sit Auaritia. Hæc autem habet vitium quoddam sibi contrarium, & extremum, puta; Prodigalitatem. Hæc autem consistit in dando plus, quam potest, aut in minus, quam oportet, propria conseruando, non solum erga alios, sed erga seipsum: victus enim superfluis ad prodigalitatem

tatem spectat. In medio autem consistit liberalitas, qua moderatus amor est diuitiarum: dat enim & retinet, quando, & quomodo oportet. Vnum tamen hic aduertendum est, quod Auaritia opponitur, & contraria est duplici virtuti, puta, iustitiae & liberalitati; tunc enim est contra iustitiam, cum versatur circa alienum, puta, cum non datur, quod debetur, ex amore ipsius pecuniae; aut cum accipitur quod alienum est, per furtum, rapinam, vsuram, vel alia iniusta via. Cum vero versatur circa propria, puta, circa immoderatum affectum in rebus proprijs, tunc est contra liberalitatem. Similiter etiam prodigalitas opponitur iustitiae & liberalitati. Iustitiae, cum prodigius est aliquis ex alieno; vt, cum multa debeat, inutiliter consumit pecunias, & fit impotens ad soluendum. Liberalitati, cum ex proprijs tantum immoderate consumit. Pareat ergo, quid Auaritia, quid Prodigalitas sit, & quibus contrariae sint virtutibus.

*Quale peccatum sint Auaritia, & Prodigalitas.*

CAPVT XXV.

**A**D cognoscendum quale peccatum sit Auaritia, oportet considerare, & distinguere, quando contra iustitiam, & quando contra liberalitatem est. Cum enim est contra iustitiam, ex genere suo est mortale peccatum, & de facto est mortale, nisi ob leuitatem materiae, vel ob defectum deliberationis fiat veniale: vnde, qui ex auaritia, & pecuniae affectu retinet alienum, nolens restituere, aut accipit alienum via aliqua iniusta, mortaliter peccat. Quando vero est contra liberalitatem, tunc ex se veniale peccatum est; quamuis fiat mortale, cum opponitur praecipuo charitatis: v.g. retinere multum pecunias proprias, nolendo dare, & succurrere alteri, & habendo immoderatum appetitum earum, veniale est: si tamen homo ex tali affectu non succurrat indigenti posito in extrema, aut graui necessitate, cum obligatur praecipuo charitatis, mortaliter peccat. Similiter, cum est paratus negligere, seu transgredi diuinum praecipuum potius, quam separare affectum a pecunia, peccat etiam mortaliter: vt, qui paratus est, si possit, furari, aut vsuram dare, aut negare indigenti extreme, aut quid simile. Idem etiam dicendum est de Prodigalitate:

cum

cùm enim est contra iustitiam, tunc ex genere suo est mortale peccatum; & verè est mortale peccatum, nisi excusetur vna illarum duarum causarum, quas diximus de Auaritia: vnde, mortaliter peccat prodigus consumens pecunias alienas; vt tutores, & curatores, res pupillorum consumentes, & dispensatores, rem sibi traditam prodigentes, peccant mortaliter. Prodigus autem peccat mortaliter, cum se impotentem facit ad soluenda debita sua, & cum reliquit providere familiæ, seu vxori, & liberis: at verò, cum est contra liberalitatem, ex genere suo est veniale; vt, qui ita de proprijs est prodigus, quòd nullam iniustitiam committit in aliorum: tamen hoc modo fit etiam peccatum mortale, cum transgreditur aliquod præceptum charitatis; vt, qui notabile scandalum ingerit alijs sua prodigalitate, maxime, si est persona ecclesiastica, & qui, dum viuunt prodigè, indigenti in graui, aut extrema necessitate non succurrit; & qui paratus est mortaliter peccare potius, quam à tali prodigalitate, quam peruersè liberalitatem vocat, desistere.

*De filiabus Auaritiæ.*

CAPVT XXVI.

**M**ultæ sunt filiæ Auaritiæ, quæ ad finem ipsius ordinantur, seu ab ipsa procedunt, quas S. Thom. 2. 2. q. 118. art. 8. refert ex Greg. Hæ autem sunt num. 7. obduratio, inquietudo, fraus, fallacia, periurium, violentia, proditio. Quarum prima est obduratio, contra misericordiam, quæ consistit in retinendo: ex eo enim, quòd auarus vult inordinatè retinere pecuniam, fit obdurati cordis, & animi immisericordis ad subueniendum necessitatibus proximorum.

Ex eo etiam, quòd immoderatum habeat affectum, consequitur inquietudo, vt semper sollicitus sit mente, & varijs curis, & anxietatibus distrahatur. Ex eo etiam, quòd vult acquirere immoderatè, sequitur, vt sæpè vtatur fallacia in verbis, & fraude in factis, & periurio, falsum confirmando; & violentia, furando, rapiendo aliena, & aliquando prodendo personas, vt Iudas, qui ex Auaritia Christum Dominum prodidit. Inter has filias oportet primò examinemus obdurationem cordis ad miserendum aliorum. Et quia ad hanc pertinet præ-

cipue non facere eleemosynā, nec subuenire indigenti, oportet tractemus istam materiam de eleemosyna, & misericordia per quam cognoscetur, quale, & quantum peccatum sit illa cordis obduratio.

*De Eleemosyna quid sit.*

CAPVT XXVII.

**E**leemosyna non potest bene percipi, quid sit, nisi prius, misericordia quid sit, cognoscatur. Est igitur misericordia, *displacencia mali alieni, ad ipsi subueniendum inclinans.* In qua descriptione duæ sunt partes principales.

Vna est, *Displacencia mali alieni.* Per misericordiam displicet homini miseria proximi, nolletque in malis eum esse.

Altera pars est, *inclinans ad subueniendum.* Per misericordiam enim, homini non solum displicet malum, & miseria aliena, sed inclinatur ad volendum ei subuenire, & malum ipsius subleuare, vt potest. Tractat S. Thomas, de hac virtute, 2. 2. quæst. 30. Nascitur autem ex charitate, hoc modo, nam per charitatem homo vnitur cum suo proximo, ac malum illius, vt proprium, etiam sibi reputat, ac ex hac parte displicet. Nascitur etiam ex charitate, quia, cum quis diligit seipsum, cumque malum, quod est alteri, sibi posse accidere considerat, sic ipsum detestatur, sibi que displicet: vnde Arist. 1. Rhetor. dicebat, prudentes, & senes esse misericordes: prudentes quidem, quia considerant malum alterius etiam sibi accidere posse; senes vero, quia timent multum sibi malum. Et ob hanc causam, etiam foeminae, & miseri homines, ac formidolosi naturali quadam misericordia mouentur facile. Hoc supposito, potest sic describi, *Eleemosyna est opus, quo indigenti a alterius subuenitur, ex misericordia procedens.* Velle enim subuenire, est actus misericordiae, & illud opus, quo talis subuentio fit, dicitur Eleemosyna. Quod verbum graecè idem valet, ac apud Latinos misericordia. Solet enim nomen ipsum virtutis ipsi effectui attribui. Vide

S. Tho. 2. 2. q. 32.

Q<sup>ui</sup>

*Qui possint facere Eleemosynam, & quomodo  
religiosi.*

CAPVT XXVIII.

**N**on omnes possunt facere Eleemosynas, vt habet S. Thomas, 2. 2. q. 32. art. 8. Nullus enim subditus, & inferior potest facere Eleemosynam de ea re, secundum quam subditus est alteri: potest quidem, si quid habet proprium, erogare in eleemosynam; tamen de re superioris non potest: vnde religiosi, vxores viuentibus, viris, filiis familias, famuli, serui non possunt facere eleemosynas, nisi in quatuor his casibus.

Primus, cum est extrema necessitas indigentis: quando enim aliquis laborat extrema necessitate, potest inferior eleemosynam facere de re superioris, etiam ipso nolente, vt habet Glos. 12. q. 1. can. non dicatur. quam sequitur communis Doctorum opinio.

Secundus, cum est grauis etiam necessitas indigentis alicuius; tamen tunc, si potest haberi facultas a superiore est habenda, vt habet Panorm. c. si quis, de furtis.

Tertio, cum ipse superior dat commissionem, & facultatem inferiori, vt possit erogare eleemosynam.

Quarto, cum inferior cognoscit de suo superiore, ipsum legatari, & sibi esse gratum, quod tales erogentur eleemosynae. His casibus potest quilibet subditus facere eleemosynam, de re superioris. At in particulari opus est ista discutere.

Religiosi enim, vltra praedictos communes casus, possunt in duobus eleemosynam facere.

Alter est, cum peregrinantur, vel iter faciunt: tunc enim de datis in propriam sustentationem, vel a Praelato, vel ab alijs facientibus eleemosynam, possunt etiam erogare indigentibus, vt habet Armil. ver. Eleemosyna, §. 5.

Alter est, cum cognoscunt superiorem suum gaudere de tali eleemosyna; & si ipse adesset, vtique facturum, vel facultatem daturum. Ita habet Syluest. ver. Eleemosyna, §. 5. At in alijs casibus, non licet eis. Idem dicendum, quando sunt extra conuentum suum, in studijs, vel vniuersitatibus commorantes: tunc enim possunt facere eleemosynam, ac si peregrinantes essent, vt habet Armil.

*Quando maritata possint facere Eleemosynam.*

CAPVT XXIX.

**P**Ræter illos generales casus, in quibus licet cuilibet inferiori facere eleemosynam, sunt etiam aliqui, in quibus licet vxoribus.

Primus est, cum sciunt gaudere, & lætari ipsarum coniuges, cum ipsæ faciunt eleemosynam, licet numquam facultatem expressam fecerint.

Secundus, cum maritus est amens: tunc enim rei administratio relicta est vxori.

Tertius, cum profectus est in longinquam regionem.

Quartus, cum ipse reliquit rei administrationem ipsi vxori.

Quintus, cum determinat certam summam pecuniæ quotannis ipsi vxori, pro ipsius expensis. Ipsa autem adstringit se, nec expendit multum, vt aliquid residuum sit, ex hoc potest tunc facere eleemosynam.

Sextus, cum ipse maritus est multum auarus, nec vult facere eleemosynam, etiam cum debet, tunc vxor potest facere, exemplo Abigail, 1. Reg. 25. quæ donauit Dauid, viro suo nesciente.

Septimus, cum ipsa, vltra dotem, aliquid habet proprium, vnde possit facere eleemosynam, sicut potest dispensare in alijs, vt ipsi libuerit.

Octauus, cum proprio labore lucratur aliquid: ex hoc potest facere eleemosynam; quamuis non in omni loco id fiat; nam in Hispania, quæ mulier proprio labore lucratur, sunt etiam communia marito.

Nonus, cum aliquis donat mulieri ipsi aliquid, tunc potest de illo erogare eleemosynam.

Decimus, potest etiam de pecunijs, quas male lucratur, puta, per adulterium: harum enim domina est, & potest distribuere, vt ipsi placuerit, vt habet Sor. 4. de iustit. quæst. 7. artic. 1.

Rursus vndecimus, potest de re, etiam communi marito, facere eleemosynam modicã, propter quam non fiet pauper, nec incidet in inopiam. Hæc omnia procedunt, quando non

est

est licentia mariti, qui caput est vxoris, quantum ad rei familiaris administrationem: nam cum est talis licentia, tunc potest erogare absolute eleemosynam.

*Quomodo filij familias, & famuli possint eleemosynam facere.*

CAPVT XXX.

**F**ilij etiam familias non possunt facere eleemosynas, nisi in quibusdam casibus, præter illos generales.

Primus, quando habent aliquot bona, quæ in bello consequuti sunt, quæ dicuntur bona castrensia.

Secundus, quando iter faciunt, pro quo peragendo, certam summam à patre accipiunt: tunc possunt ex hac facere eleemosynam.

Tertius, cum manet extra domum, in studijs, & vniuersitatibus, vel alijs locis, ad negotia aliqua, accipiuntque summam pro sustentatione: tunc, se in expensis restringendo, possunt erogare residuum in eleemosynam.

Quartus, cum habent aliquod officium publicum; vt, cum sunt Notarij, Aduocati, Medici: vel aliquam habent dignitatem Ecclesiasticam, aut beneficium; tunc ex redditibus, aut ex ijs, quæ lucrantur, possunt erogare eleemosynam.

Quintus, cum sunt eleemosynæ reuues, & modicæ.

Sextus, cum sciunt parentes suos gaudere, quod erogent tales pauperibus eleemosynas. In his casibus possunt filij familias facere eleemosynas: serui autem, & famuli, de rebus dominorum non possunt facere eleemosynas, extra casus communes, nisi modicum quid sit, & rarò: vnde isti dispensatores, &

villici dominorum non possunt de re domini, ipso nesciente, facere eleemosynam, nisi rarò, idque

modicum. Ex his patet, qui possint facere eleemosynam.

(. .)

Qui-



Quibus sit facienda Eleemosyna.

CAPV T XXXI.

**E**leemosyna indigentibus est facienda: est enim actus misericordiae, quae non versatur, nisi circa mala, & miserias proximorum. Non solum autem bonis, sed etiam malis fidelibus, & infidelibus est benefaciendum; nam misericordia nascitur ex charitate, quae nullum excludit. Sunt tamen aliquot conditiones requisitae in indigente, ut ei sit eroganda eleemosyna.

Prima est, ut nequeat laborare, & comparare sibi victum: cum enim potest, sed otio vacat, non tenetur ei dare, nisi sit in extrema necessitate, quando iam non potest laborare, & nisi etiam ille non inuenit, qui ipsius labore velit vii; ut habet Sylu. verb. eleemosyna. §. 3. Sed ista conditio intelligenda est, cum per laborem non acquirit homo detrimentum honoris. Sunt enim nobiles viri, & foeminae, quibus esset multum indecens alijs inferuire, & manibus laborare: his non est neganda eleemosyna, quamuis non laborent.

Secunda, quod talis indigens non accipiat ansam, & occasionem peccandi, eod, quod habeat talem eleemosynam. Sunt enim, qui, securi de eleemosyna, dant operam rebus illicitis, & malis: immo conuertunt ipsas eleemosynas in malum usum: his melius est negare eleemosynam, ut corrigantur. Ita habetur ab Augustin. 5. quaest. 5. can. non omnis. *visitans, inquit, inveniendi panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quam si securus panis frangatur, si iniustitiae seductus acquiescat.*

Tertia, cum indiget in poenam, ut propter iustitiam iudicis, ut, qui damnati sunt siti, & fame perire, his non tenetur facere eleemosynam, ut dicit S. Thom. 2. 2. quaest. 31. art. 2. tamen, qui voluerit, licet ei dare eleemosynam, ut dicit Soto lib. 5. de iustitia, q. 14. art. ultim. dum non sit minister iustitiae. Ministris enim opus est exequi sententiam, & iudicis damnationem. Dicit autem Soto, quod ille damnatus potest, si vult, non acceptare cibum, & permittere se mori, & ita est; licet Caiet. 2. 2. q. 69. dicat, eum obligari sumere cibum talem, & conservare vitam, ut potest.

Quarta, cum talis indigentia est in bello iusto: cum enim ciuitas inimicorum est circumdata iuste, & fame cogitur se

tradere, tunc non est ei ministrandus cibus, nec liceret, sed esset graue peccatum; secus in bello iniusto, cum iniuste est circumdara, his est facienda eleemosyna. Tamen aduerte vnū, quod non solum alijs extra se homo potest facere eleemosynam, sed si distributor est eleemosynarum alterius, potest sibi, & suis facere de tali pecunia eleemosynam, si ita indiget, ac ille, quibus talis est eroganda eleemosyna, vt habet Caiet 2. 2. q. 32. art. 9. & Sylu. v. eleemosyna §. 3. & 4. & S. Tho. ibid. ad tertium, & Tabien. v. eleemosyna. §. 13. Vt autem rectè dispenset, debet se considerare, ac si esset tertius, & quā faceret tertio indigenti, eleemosynam eandem sibi faciat.

*Eo quo facienda sit eleemosyna.*

CAPVT XXXII.

Eleemosyna debet fieri ex propria substantia.

**E** Vnde notandum est primo, quod non est facienda eleemosyna de alieno, quod est apud nos; vt, de deposito, de commodato: hæc enim dominis proprijs est seruanda, nisi occurreret extrema necessitas, quando ei liceret ab altero sumere, ad erogandum eleemosynam.

Secundo, non est facienda eleemosyna de obnoxio ad restitutionem; vt, qui multa habet debita, quibus vix potest satisfacere sua pecunia, non debet erogare eleemosynam, & se impotentem facere ad soluendum, nisi in casu præcedenti.

Tertio, non est etiam facienda eleemosyna de acquisitis contra iustitiam, vt, per vsuram, per rapinam, furtum, vel per alium iniustum contractum: hæc enim sunt dominis restituenda. Dixi autem de acquisitis contra iustitiam; nam aliqua male acquiruntur, sed non contra iustitiam; vt, quæ acquiruntur pro aliquo peccato, tamen ipsa acceptio non est contra iustitiam; vt, quæ mulier accipit pro abusu corporis, quæ dicuntur turpia luera, & de his potest fieri eleemosyna, vt habet S. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 7. Hoc etiam modo diximus, lib. 3. instruct. cap. 21 se habere, cum aliquis accipit pecuniam, vt occidat hominem aliquem, quamuis aliqui velint debere dari pauperibus: sed nos illic diximus, non teneri, sed posse sibi retinere, quia dominus est talis pecuniæ. Potest tamen,

si velit,

si velit, facere eleemosynam, & consilium esset vile id facere.

Rursus quartò, facienda est de non necessario ad vitæ conseruationem: non enim cum dispendio suæ vitæ debet aliquis alteri erogare; hoc tamen melius explicabitur in sequentibus capitibus.

*Quando sit obligatio faciendi eleemosynam,*

CAPVT XXXIII.

**N**on parua difficultas est, scire, quando homo sub peccato mortali obligetur facere eleemosynam. In cuius gratiam, sunt duæ distinctiones multum considerandæ.

Prior est; Pecunia, & pecunia æstimabile quadrupliciter se potest habere respectu habentis, seu possessoris.

Vno modo, est talis pecunia necessaria ad vitæ propriæ, & suæ familiæ cõseruationem, ita vt, sine illa non possint vitam propriam, aut suorum conseruare: & hæc necessitas nature dicitur.

Altero modo, potest esse necessaria ad status sui decentiam simpliciter; ita vt, sine illa nullo modo possit sui status decentiam conseruare: & dicitur hæc necessitas personæ.

Tertiò, potest esse necessaria, siue ad vitam, siue ad status decentiam, non simpliciter, sed secundum quid, id est, sine illa posset homo decentiam sui status conseruare, tamen ægre, & non commodè.

Quartò modo, pecunia potest esse nullo modo necessaria, nec ad vitam, nec ad status decentiam, nec etiam ad commodam conseruationem status, & tunc dicitur superflua. Aduerte tamen ex Caiet. Syluest. & Arnill. ver. eleemosyna, & alius Doctor. quod necessarium, vel superfluum non debent considerari solum respectu præsentis, sed etiam respectu periculorum, quæ probabiliter possunt accidere: verbi gratia, modo vnus solum habet vxorem, seu sponsam, non ob id est censendum habere pecuniam superflua, quamuis habeat plura necessaria ad decentiam status: nam sperat filios, & filias, quibus computatis, non erit forsan superflua. Similiter, vno anno, quando res minus valent, forsan videtur res illius familiaris superflua, tamen, si cõputentur pericula probabilia, quia

altero

altero anno carius valebunt, non erit superflua; tamen non sunt fingenda, aut imaginanda pericula, sed solum ea consideranda, quæ probabiliter, & iudicio viri prudentis accidere possunt. Aduerte, etiam, quod sunt diuersi status in repub. ecclesiastica, & seculari, nec debent esse eadem expensæ æquales omnibus, sed quibusdam maiores, quibusdam minores, ratione status sui.

Posterior distinctio sit: indigentia, seu necessitas est triplex. Quædam est extrema: hæc autem dicitur cum est necessitas vitæ propriæ perdendæ; vt, cum quis est in periculo vitæ. Vbi aduerte, ex Soro lib. 3. de iustit. quæst. 3. artic. 4. quod non solum est censenda extrema necessitas, cum quis est in mortis periculo, sed cum probabiliter speratur mors, nisi antè subueniatur.

Altera necessitas est gravis, vt, cum est graue periculum perdendi honores, & decetiam status: aut peccandi; vt, cum mater ex indigentia vult prostituere filias; aut alterius notabilis mali.

Tertia est communis indigentia, quæ nec extrema, nec grauis multum est. Hæc omnia sunt ante oculos habenda, pro intelligentia eorum, quæ dicentur in cap. seq.

*De obligatione faciendi eleemosynam.*

CAPVT XXXIV.

Sunt aliquot conclusiones notandæ super dictis præcedentibus distinctionibus.

Quarum prima est. Eleemosyna est in præcepto, obligamurque sub mortali aliquando facere eleemosynam. In hac conclusione omnes Catholici conueniunt: est enim Catholica, & contraria est hæretica. Est Catholica, vt probatur aperte ex scriptura, Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* 1. Iacob. 2. *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam.* 1. Luc. 3. *Quod superest dare eleemosynam, & Matth. 25. *Ue maledicti, &c. quia esuriui, & non dedistis mihi manducare. &c.**

Secunda conclusio. De necessarijs simpliciter ad vitæ propriæ, aut familiæ conseruationem, nullus tenetur alteri suc-

currere, etiam necessitate extrema laboranti, id est, cum dispendio suæ vitæ, aut parentum, & familiæ, nullus tenetur vitæ alterius succurrere, sed potius sibi: vnde, si laborent duo in extrema necessitate, vnusque cibum sibi necessarium tantum habeat, non obligatur alteri dare; & in hoc omnes cōueniunt. At Sanctus Thom 2.2. quæst. 32. articulo 6. excipit vnum casum, quando persona, cui succurritur, est multum necessaria reipublicæ, & à qua bonum commune dependet ciuitatis, aut exercitus: tunc enim potius huic, quam sibi succurrendum esset. At vero difficultas est, an iste obligetur sub præcepto id facere. Omnes enim cōueniunt, quod licet ei facere, tamen de obligatione discordant. Sylu. verb. eleemosyna. §. 2. & Armilla ve. eleemosyna. 4. tenet, quod solum est consilium; & S. Thom. videtur dicere esse præceptum; & ita tenet Soto lib. 5. de iust. quæst. 1. ar. 7. Et ita est; nam propter bonum commune, tenetur quis proprium negligere. Quod si non esset illa persona tam necessaria Reipublicæ licet esset multum, tunc consilium esset. De hoc tamen diximus lib. 5. Infr.

Tertia conclusio: Ex necessarijs ad decentiam status, tamen non necessarijs ad vitæ conseruationem, tenetur homo facere eleemosynam in extrema necessitate existenti. In hac etiam omnes conueniunt. Potius enim debet facere iacturam decentiæ status sui, & debet se minuere, & restringere, quam quod aliud moriatur, ob defectum eleemosynæ ab ipso faciendæ. Tamen aduerte, istas tres necessitates esse intelligendas, quando homo in ipsis manet, absque culpa, & potestate sua: nam si aliquis diceret; ego me volo occidere, nisi des mihi centum aureos, & de facto vult se occidere, nõ ob id sunt ei dandi: culpa enim potius eius est, quam necessitas.

Quarta conclusio: Ex necessarijs secundum quid ad decentiam status, seu ad vitæ conseruationem, non tenetur homo facere eleemosynam, extra necessitates extremas, & graues: non enim, vt succurrat communibus indigentijs, tenetur ex præcepto pati incommodum, & restringere ea, quæ ad vitæ, & status conseruationem necessaria sunt. Hæc sunt conclusiones quatuor, in quibus Doctores conueniunt: in sequentibus duabus est controuersia.

## De discordia Doctorum circa præceptum Eleemosynæ.

## CAPVT XXXV.

**D**vo sunt, in quibus Doctores discrepant circa præceptum Eleemosynæ.

Alterum est, an ex superfluis teneatur homo, sub mortali, non solum in necessitate extrema, sed etiam in graui succurrere. De extrema enim nullus dubitat. De graui verò, multi dicunt, non obligari, nisi ex consilio, & ex æquitate; unde solum obligatio est sub veniali. Ita habet Alexan. 4. p. q. 113. mem. 1. & Gabr. 4. d. 16. q. 4. con. 5. At verò alij dicunt teneri sub mortali, & ex præcepto, etiam in grauib; erogare eleemosynam. Ita habet S. Thom. 4. d. 15. q. 2. art. 1. q. 3. Anton. 2. part. tit. 1. c. 24. §. 4. Richard. 4. dist. 15. Sylu. Tab. Armil. verb. Eleemosyna, & Medin. C. de pœn. tract. 5. de Eleemosyna: & ita tenendum est.

Vnde, sit conclusio iuxta hanc veram sententiam. Teneatur quisque ex superfluis sui status, sub mortali peccato, facere eleemosynam in grauib; proximorum necessitatibus. Ista conclusio, præmissa Doctorum citatorum auctoritate, videtur manifesta in scriptura, Math. 26. *Ita maledixisti in ignem æternum, quia sitiui, & non dedisti mihi bibere; esuriui, & non dedisti mihi manducare; nudus eram, & non cooperuisti me; infirmus eram, & non visitasti me.* Hic vides profectò, non esse has extremas necessitates, & tamen damnari hominem, quia non succurrit: ergo obligatio est sub mortali etiam extra extremam necessitatem. Hoc etiam potest colligi ex illo Iacob. 2. *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam,* & ex illo Ioan. allegato. Quæ testimonia non possunt intelligi de sola extrema necessitate. Et manifesta est ratio: nam amicitia humana non solum solueretur, si amicus non succurreret in extrema necessitate amico, sed etiam in graui. Multò ergo magis soluitur amicitia diuina, cum plus teneamur Christo erogare, quàm cui libet amico: quod autem pauperi sit, Christo fit; ut ipse dixit Math. 26. In persona propria pro paupere, *sitiui, & non dedisti mihi bibere.*

Alterum est, an ex superfluis teneamur facere eleemosynam in communibus necessitatibus, ex præcepto, ita ut nullis superflua possit sibi retinere absque mortali, sed debeat pauperibus

distribuere. Caiet. verb. eleemos. videtur dicere, ita esse, & Sanctus Thom. 2. 2. q. 32. ar. 5. iuxta aliquorum expositionem tamen communis opinio tenet contrarium. Omnes enim illi Doct. præfati dicunt non obligari: imò aliqui, nec etiam obligati in graui, sub mortali.

Sit ergo altera conclusio. Nullus sub mortali tenetur distribuere superflua, extra extremas, & graues necessitates. Istam teneo, propter communem Doctor. sententiam, nec audeo obligare sub mortali eos, quos tot, & tanti Doctores excusant: vnum tamen admoneo, qui superflua habet, debere multum timere, & Confessarios debere illis maxime consulere, vt distribuant, nec apud se retineant; quia, etsi Doctor. scholasticorum communis sententia eos excusat, tamen Doctores sancti illos damnant, vt sit profectò sententia probabilis illos obligari sub præcepto.

Adducam aliquot istorum testimonia. Hieron. & habetur in Decret. dist. 42. cap. 1. *Aliena*, inquit, *rapere conuincitur, qui ultra sibi necessaria retinere probatur.* Ambro. & habetur dist. 47. can. *sicut. Plusquam sufficit*, inquit, *ad sumptus, violenter obtentum est, non minus est criminis habenti tollere, quam cum possis, & abundans, indigentibus denegare.* Et inferius: *Esuriendum est panis, quem tu detines; nudorum est indumentum, quod tu recludis; miserorum redemptio est pecunia, quam in terra desodis: tot ergo scias te inuolare bona; quot possis præstare, quod velis.* Hæc Ambros. August. super Psal. 147. *Superflua*, inquit, *diuini, necessaria sunt pauperi, aliena est, qui ista detinet.* Basil. in homil. de diuite multa de hoc cumulat, & dicit, quòd, diues illè damnatus est, quia nesciebat se ex præcepto teneri, superflua distribuere in pauperes. Chrysost. hom. 34. ad popul. Antioch. dicit, diuites habentes superflua, esse œconomos in Dei familia, & ex præcepto teneri distribuere ea in pauperes. Vides tot sanctos damnantes superflua retentionem sub mortali, multum ergo timendum est; & nisi esset tam vnanimis Scholasticorum sententia, qua possunt excusari modo aliquo tales homines, absque vllò dubio esset omninò damnanda talis retentio.

Erga hoc autem, & præcedens caput, vnum obseruandum est: aliter teneri eos, qui aliorum habent curam, præsertim Ecclesie; aliter eos, qui non habent, quantum ad præceptum elemosinarum: hi enim satisfaciunt his indigentibus, qui occurrunt, erogando; illi verò ultra hoc tenentur inquirere: nam Episcopus, & quilibet superior, in sua ditione, debet inquirere neces-

fitates, vt eis succurrat, aliter non fatiscit præcepto. Superfluum autem magis inuenitur in Ecclesiasticis personis, qui, cum non habeant filias, & filios, non ita indigent, ac sæculares; & cum ipsorum etiam victus, & vestitus maiorem requirat modum, & modestiam.

*De quodam dubio circa Eleemosynam.*

CAPVT XXXVI.

**C**VM certum sit, eum, qui est in necessitate extrema, posse accipere ab alio, & rapere, quæ sibi sunt necessaria, dubium est, an huiusmodi homo teneatur ad restitutionem, si ad pinguiorem venerit fortunam. In quo dubio sunt variæ Doctorem sententiæ. Quidam putant eum non teneri, vt Scot. 4. dist. 15. q. 2. & Gabr. ibid. & Sot. 4. lib. de iust. quæst. 7. art. 1. Alij verò tenent eum obligari, vt Nauar. capit. 17. summ. num. 60. & Adrian. in mater. de restit. in peculiari quæstione de hoc. Medina verò C. de pœnit. tract. 5. de Eleemosyna, tenet mediam sententiam. Cum enim accepit de superfluo alterius, non tenetur restituere: cum verò accepit de non superfluo, tenetur. Aduerte autem, quod prædicti Doctores in multis conueniunt; in vno autem est discrepantia. Conueniunt quidem in eo, quod dicit Scot. quod si quis, ante necessitatem extremam, accepit aliquid ab altero, ratione cuius acceptionis tenebatur restituere, & postea incurrat extremam necessitatem, & vtatur illo, quod accepit, non ob id soluitur ab obligatione restitutionis, si ad pinguiorem venerit fortunam. Rursus conueniunt, vt dicit Soto, cum aliquis patitur extremam necessitatem in vno loco, in altero tamen habet, vnde posset succurrere suæ necessitati; tunc quod accipit, tenetur reddere; vt, si mercator aliquis diues comprehendatur in loco, vbi nullus habet pecunias, ita vt inimici velint eum occidere, nisi det centum aureos, tunc iste potest illos accipere ab alio, tamen tenetur reddere, cum in suo est loco.

Rursus tertio conueniunt, quando aliquis verè habet aliquid pecunia appetibile, tamen non sufficiens, nec utile illi ad suam necessitatem; vt, si habens domos, & vineas, indigeat pecunia aliqua extreme, quam inuenire non potest; tunc, si accipiat, & rapiat, tenetur reddere postea. Rursus etiam conue-



niunt, cum res accepta ab altero adhuc perseuerat, expleta necessitate; vt, qui manus inimicorum fugiens, quas aliter euadere non poterat, equum alicnum rapuit, tunc superstitem tenetur equum reddere domino: in his omnibus non est contradictio. Sed difficultas posita est de eo, quod accipitur verè, & absolute ab indigenti, & ipso vsu consumitur, & satisficit necessitati: & de hoc procedunt præfatae opiniones; quamuis adhuc in hoc vno conueniant: quando res est modicæ quantitatis, non tenetur reddere, quia præsumitur, quod donassetis, à quo accepta est, si scisset: immò adhuc conueniunt, quòd, qui accepit, non obligatur laborare, & negotiari, vt restituat; sed difficultas est, an, si ille factus fuerit ditior, teneatur restituere: & in hoc puncto dico duo.

Alterum: Esse probabilem illam opinionem, quam habet, non teneri ad restitutionem; potestque secure se tutari penitens per illam, non restituendo: & Confessarius etiam secure potest illum in sua opinione absolvere, absq; restitutione.

Dico, alterum mihi esse probabilius, illum teneri ad restitutionem, vt dicit Medina: cum nimirum accepit ex nò superfluo, quia, vt diximus, ille, à quo accepit, non obligatur donare, nam poterat mutuare: vnde, nisi præsumatur, vel sciat ut ille donatum, obligatio est ad restitutionem. Cum verò accipit ex superfluo, ob eandem rationem, credo etiam obligari ad restitutionem, contra Medinam. Ratio est, nam hic, à quo accepit, non tenetur donare; sed potest mutuando succurrere necessitati illi: tamen, nisi præsumatur donatum, ille alius tenetur reddere, ad pinguem veniens fortunam. Ob eandem ergo causam, siue accipiat ex superfluo, siue non, debet reddere. Hoc idem diximus superius capit. 24. libro quinto, instructionis, vbi adduximus aliam rationem, vt ibi potest videri.

*De alijs duobus modis ex a idem.*

CAPVT XXXVII.

**A**liud dubium est, ex quo pendet solutio præcedentis, an obligemur in extrema necessitate alteri succurrere per donationem, an sufficiat per mutuum, vel venditionem, vel cambium, aut alio modo. Sunt & duæ opiniones. Adria. & Nauar. locis citatis dicunt, non obligari ex præ-

cepto

cepto donare, maximè, si est magna quantitas, sed sufficere mutuare; nam hoc modo succurritur necessitati illi. Alij verò dicunt, obligationem esse donandi. Medina loco citato dicit, ex superfluis esse donandum, ex non superfluis sufficere mutuare. In hoc conueniunt omnes, quòd quocumque modo dandum est, tamen, nisi ille acceptet mutuum, donare debemus.

Rursus conueniant, quòd si debet dari sub mutuo, quòd non obligatur reddere, nisi fortè ad pinguiorem venerit fortunam. Puto autem posse sub hoc modo succurri, nec obligari sub præcepto donare: tamen Gen. 47. legimus, in illa necessitate Aegypti, Ioseph non donasse, sed dedisse sub conditione quadam, & Tob. 1. dedit bonus Tobias Gabelo indigenti summam argenti mutuo, sub chirographo. Consilium tamen laudabile est, præsertim ex superfluis, donare. Hinc fit, quòd, si quis artifex, vel robustus, laboraret extrema, aut graui necessitate, quia non inueniret materiam exercendi artem, vel laborem, posset aliquis succurrere vsu artis, vel laborem ipsius, nec teneretur donare, quamuis tunc de præsentia malè valeret. Posset enim sub prædicta conditione, si bene haberet donare, & non obligando postea, vt laboraret.

Aliud dubium est, an, qui debent pecunias alijs creditoribus, si occurrat aliquis in extrema necessitate, & dent ei ex tali pecunia, sint obligati reddere creditoribus illud; sicut poterant accipere ab alijs, si ipsi non habuissent, & ministrare existenti in necessitate extrema. Hoc dubium mouet Med. loco cit. nempe teneri reddere, & soluere creditoribus. nam quamdiu in sua potestate sunt, ipsorum sunt, & dare tenentur indigenti illi, nec aufertur obligatio restituendi creditori; sicut iam diximus de illo, qui prius erat debitor, & postea incidit in extremam necessitatem, non ob id tollitur obligatio restituendi. Qui verò accipit ab alio vt reddat indigenti extremè, non obligatur; nam, nomine indigentis, accipit, & indigens est, qui ad modum prædictum restituere tenetur, ad pinguem veniens fortunam.

(.i.)

*De duobus dubijs circa præceptum Eleemosynæ.*

CAPVT XXXVIII.

**C**VM constet iam Eleemosynam esse in præcepto; dubium est, an illud præceptum sit obligans tantum fideles, seu Christianos. Ad quod dico, non solum obligare fideles, sed etiam infideles omnes: est enim non solum diuinum præceptum, sed simul naturale, sicut præceptum honorandi parentes, non furandi, non mœchandi, quæ quidem obligant omnes; vt habet Cypr. sermo. de Eleemosynis: vnde, peccat mortaliter paganus, & infidelis, qui non subuenit extremae, aut graui necessitati proximi, vt superius est dictum. Et non solum non subueniendo alteri pagano, sed etiam non subueniendo fideli; sicut & fidelis peccat, non subueniendo etiam infideli: naturale enim est, vt vnusquisque his, qui suæ speciei sunt, in necessitate succurrat; nisi aliquando ratio aliud postulet, vt superius diximus.

Aliud dubium est, an præceptum Ecclesiæ magis obliget Ecclesiasticas personas, respectu bonorum Ecclesiæ, quam sæculares, aut etiam Ecclesiasticas, respectu bonorum, quæ non ab Ecclesia, sed aliunde habent; possunt enim habere bona aliqua ex patrimonio, vel alio modo conquisita, & non Ecclesiæ beneficio, & in his perinde se habent, ac sæculares. Ad hoc dubium Caiet. 2. 2. q. 87. art. 1. & 185. art. 7. tenet, quod teneantur de sibi superfluis ad vitam, & status decentiam facere eleemosynam; non solum ex misericordia, sed ex iustitia; vt, si nõ faciant, ad restituendum teneantur. Putat enim Caiet. quod non sunt horum bonorum Ecclesiæ domini, sed dispensatores, & subiecto sibi sufficienti, reliquum est pauperum. Sor. verò lib. 10. de iust. q. 4. ar. 3. tenet cõtrariũ: dicit enim, quod Ecclesiasticus illius, portionis, quæ sibi ex diuisione obuenit, est verè dominus, sicut domini temporales sunt domini suorum bonorum, & per car. nõ faciendo eleemosynam, sicut & alij, & in iisdẽ casibus; quamuis magis teneatur succurrere, quam sæculares, quia pauperum est, vt habetur 12. quæst. 1. per totam. Et ita tenendum est, vt satis ostendimus in Instructione: Dicit autem vniuersum Tabiena, verb. restitutio. §. 19. quod quamuis dispensator sit talium bonorum, tamen, nomine eleemosynæ, potest suis consanguineis donare, si indigent, vt maritare nepotes,

etiam

etiam filias illegitimas; potestque non solum pro ratione conditionis ipsorum absolute illis dispensare, sed etiam habita ratione sui status: nam maior est conditio ipsorum ob dignitatem consanguinei: nepotes enim Pontificum, Cardinalium, & similium, pluribus indigent ad decentiam status. Sed hoc profecto securius dici potest, tenendo tales personas dominos tallium bonorum. Debent tamen in hoc vitari scandala & superfluitates, & prius necessitates grauiores aliorum suppleri, vt statim dicemus.

*Quo ordine sit Eleemosyna facienda.*

CAPVT XXXIX.

**Q**uamuis difficile sit ordinem vniuersalem, & certum faciendi, & distribuendi eleemosynas constituere, vt omnes Doctores fatentur, tamen aliqua notitia ex sequentibus conclusionibus haberi potest.

Quarum prima est, Maiori, seu grauiori necessitati prius est succurrendum, quam minus graui, in quocumque subiecto ea sit. In hoc omnes conueniunt: quamuis enim consanguineis, amicis, benefactoribus, notis, & alijs sic eroganda, tamen prius indigentiori est eroganda, quicumque sit ille: vnde, si necessitas alieni est extrema, & consanguinei est communis aut grauis, prius extraneo danda est eleemosyna. Similiter, si illa est grauis, & haec est communis. Hinc sequitur, quod personae Ecclesiasticae, quae volunt suos nepotes ditare; & saeculares, qui volunt augere suos status, non possint, cum graues in Repu. sunt necessitates & indigentiae, quibus prius satisfacere tenentur.

Secunda conclusio, existente aequali necessitate & indigentia, prius homo sibi met quam alijs prouidere debet. In hoc etiam omnes conueniunt: vbi aduerte, cum aliquis est in necessitate extrema vel graui, & alij in simili, nec ipse sibi, & in alijs potest prouidere, tunc debet sibi. Sed non semper ad id tenetur: aliquando enim tenetur, potius alijs, aliquando licet ei, & est consilium consulere alijs: aliquando vero est peccatum, sed potius debet sibi: tenetur quidem alijs, cum id vergit in beneficium commune: vt enim superius diximus, cum est persona publica, ex qua salus communitatis pender, tunc tenetur quilibet particularis illi potius, quam sibi in necessitate extrema,

aut graui succurrere. Cum verò non esset ita vtilis persona, tamen vtilis, aut vir bonus aliquis, aut amicus, aut pater, aut filius, aut multum coniunctus, tunc esset consilium, his potius, quàm sibi cõsulere. Cum verò ipse esset publica persona, & multum vtilis Reipu. & ille alius non, tunc tenebatur sibi potius prouidere: tamen circa hanc conclusionem duo dubia breuia existunt.

Alterum est, an homo potius sibi in extrema necessitate, quàm creditori suo in eadem necessitate existenti succurrere teneatur, ex his, quæ ei debet. Ad quod dubium Scot. 4. d. 15. q. 2. respondet, quòd si prius incidit in extremam necessitatem, quàm creditor, non tenetur ei dare, tamè si simul inciderunt, aut creditor prius, tunc tenetur ei dare. Naqar. c. 17. num. 70. dicit, quòd si res, quam habet, est in specie reddenda, nempe, quia erat commodatò aut depositò accepta, tunc tenetur reddere potius quàm sibi retinere. Si verò non est res in eadem specie reddenda, non tenetur. Sed melius habet Caietan. verb. restit. & Tabien. eodem verb. §. 4. & Soto libro quarto de iustitia, quæst. 7. articulo. quòd non tenetur dare creditori, sed potius sibi succurrere potest. Omnes tamen conueniunt, quòd nulli licet, etiam existenti in graui necessitate, sumere ab alio in eadem necessitate existente: immò nec licet accipere; quatenus sit persona publica, & cui aliter teneatur dare.

Alterum dubium est, an, sicut licet seipsum antepone re creditori in extrema necessitate, ita etiam liceat antepone re parentes, vt potius quis succurrere debeat parentibus, quàm creditori. Tabien. verb. restitutio. §. 4. dicit, succurrendum potius creditori, nec licere nisi seipsum tantum antepone re creditori. Soto verò loca allegato tenet, quòd liceret dare parentibus, relicto creditore: immò etiam filios & vxorem, non tamen fratres licet antepone re creditori. Et sine dubio de parentibus est sententia S. Thom. q. 31. art. 3. vbi dicit, obligationem parentum vincere omnem obligationem aliam. Et ita credo, immò non solum quod Soto dicit, sed etiam de fratribus, & his, qui in primo gradu sunt. Vide lib. 5. infr. cap. 24. vbi contrarium diximus, quia totum est probabile, sed modo hoc probabilius videtur.

Tertia conclusio: parentibus potius quàm filiis in eadem necessitate est succurrendum: v.g. laborat pater alicuius extrema necessitate, laborat & suus filius, neq; potest nisi alteri prouidere, potius patri & matri succurrendum est, quàm proprio filio.

filio. In hoc omnes conueniunt, & S. Thomas 2. 2. quæst. 31. ar. 3. Aduerte tamen, quòd si ordinem charitatis spectes, potius homo debet amare proprios filios, immò & vxorem, quàm parentes, vt auctor est S. Thom. 2. 2. quæst. 28. Et ratio est, quia plus est sibi coniunctus filius, cum sit de propria substantia, & vxor, quæ est vna caro secum, quàm parentes, à quibus procedit. Ordo autem charitatis incipit à coniunctoribus; at verò nò sic est ordo elemosynæ, quæ cum sit beneficium quoddam & retributio, plus respicit debitum; & quia parentibus plus debemus, quàm filijs, hinc est quòd plus illis est eroganda elemosyna, quàm filijs & vxori.

Quarta conclusio est. In æquali necessitate iste ordo communiter est seruandus, vt primum locum consanguinei; secundum, hi, quorum nobis est cura; tertium, benefactores, quartum, amici; quintum, noti; sextum, extranei obtineant. Hoc intellige, cæteris paribus: nam tam vtilis potest esse extraneus Reipubl. vt præponendus sit consanguineo; & tam amicus, vt præponendus sit minimo benefactori.

In singulis autem ordinibus obseruanda est quinta conclusio: Meliores & vtiliores Reipubl. sunt præponendi in necessitate æquali: v.g. inter æquales consanguineos præponendus est melior, & studiosior Reipubl. & vtilior. Similiter & inter amicos, & inter alios singulorum ordinum. Per has conclusiones mediocris potest haberi notitia ordinis erogandi elemosynas.

*Quanta debeat esse Eleemosyna.*

CAPVT XL.

**O**Mnes conueniunt, abundantem elemosynam esse faciendam: Tamen aduerte, aliquam elemosynam dici abundantem ex duplici parte, ex parte accipientis, & ex parte dantis. Ex parte quidem accipientis dicitur dupliciter abundans.

Vno modo, quando supplet omnem necessitatem indigentis; vt, qui indiget centum, si accipiat centum, abundanter accipit.

Altero modo, cum non solum supplet necessitatem, sed su-

perfluit.

perfluit: plus enim accipit quam indiget. De hac ergo abundantia ex parte accipientis.

Dico primò. Quisq; tenetur abundanter dare, ut sufficiat toti necessitati indigentis, cum extrema aut grauis est, & ipse potest esse sine periculo æqualis, aut maioris indigentia proprie. Quando igitur laborat quis extrema aut graui, tenetur, qui potest, liberare eum à graui seu ab extrema. Verum est, quod, si essent multi, qui vni vellent conferre, tunc sufficeret singulis dare quantum sufficit, ut vnà cum alijs succurratur necessitati indigentis.

Dico secundò, in communibus necessitatibus bonum est abundanter dare; non tamen est obligatio: satis est dare partem aliquam ad subleuandam necessitatem indigentium, præsertim cum alij etiam simili modo elemosynam faciunt.

Dico tertio, dare abundanter ita, ut superfluum sit, potest, & bene & malè fieri. Benè quidem, si bona intentione datur, ut indigens, non solum sibi, sed & alijs habeat; ut vt necessaria habeat, & quibus commodè viuat. Malè fit, si cognoscatur indigens abuti superfluo in ludis, vel alijs vitijs, & adhuc ei datur; aut cum datur ad ostentationem & vanam gloriam; aut cum alteri negatur necessarium, dum alteri ministratur superfluum; aut cum tale superfluum perit, & fit prodigalitas quedam: & huiusmodi peccata ex se venialia sunt, nisi cum constaret indigentem mortale aliquid committere ob huiusmodi superfluum. Est etiam elemosyna abundans ex parte dantis, cum multum datur. Hoc autem multum non tam est considerandum in se, quam habita ratione facultatis ipsius dantis: aliquando enim qui minus dat, plus dat & abundantius, quia minus habet; & plus est sibi illud paucum, quam diuiti illud multum. Et sic dicta est illa vîqua, Lucæ 21. abundantius dedisse; cum tamen in se paucum dedisset. Hoc autem modo abundanter dare laudabile est & meritorium, dummodo homo non incurat seu contrahat indigentiam tantam, ut familie suæ commodè succurrere non possit. Debet enim homo primo loco se, & suos constituere in necessitate æquali.

## De vtilitate eleemosynæ.

## CAPVT XLI.

**P**lena est scriptura vtilitate eleemosynæ; tres tamen sunt præcipuæ ipsius vtilitates.

Prima quidem, quod eleemosynæ est meritoria gloriæ & gratiæ augmenti, si fiat ab homine existente in gratia, & propter Deum. Aduerte tamen, quod duplici ex parte crescit eleemosynæ, & vna est magis altera meritoria: Vno modo ratione affectus charitatis: quæ enim maiori charitate fit, magis est meritoria: vnde, si quis dat vnum scutum tali affectu, vt, si haberet centum, daret, habet meritum, ac si daret centum. Si quis etiam magna deuotione & feruore charitatis dat vnum Iulium, magis meretur, quam qui cum minori deuotione daret etiam Iulium. Crescit etiam altero modo ratione rei, seu operis ipsius: vnde, si duo habent æqualem charitatis feruorem, tamen vnus det plus, alter minus, magis meretur ille, quàm hic. Debet tamen considerari quantitas ista eleemosynæ datæ per proportionem ad facultatem vtriusque. Aliquando enim plus dat, qui minus dat, vt diximus, quia pauperior est.

Est altera vtilitas eleemosynæ, quod est satisfactoria pro pœnis peccatorum dimissorum. Et hoc est, quod in Scriptura dicitur, *Peccata tua eleemosynis redime*. Multum enim pœnæ in hoc mundo, aut in Purgatorio soluendæ remittitur per eleemosynam in gratia factam: non solum autem valet ad satisfactionem pro proprijs peccatis, sed & pro peccatis aliorum, siue in Purgatorio, siue in hoc mundo sint, si sunt in gratia, pro quibus talis eleemosynæ offertur.

Tertia vtilitas est, quod est impetratoria: consequitur enim multa beneficia à Deo, & quod petit obtinet, qui facit eleemosynam, iuxta illud Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. immo, si est in mortali peccato, est magna dispositio ad obtinendum à Deo, vt per gratiam disponatur ad contritionem, qua consequatur peccati remissionem.



De solitudine, seu inquietudine mentis,  
& quid sit.

## CAPVT XLII.

**A**ltera filia Auaritia est sollicitudo seu inquietudo mentis, de qua tractat S. Thom. 2. 2. q. 35. ar. 6 & Anton. 2. peccat. 1. ca. 25. Potest autem sic describi: Est *vehemens applicatio mentis cum timore coniuncta*. In qua descriptione tres sunt partes.

Prima est, *applicatio mentis*. Applicare autem mentem, nihil aliud est, quam per mentem operari, intelligendo, cogitando, volendo: sicut applicare manum ad scribendum, est ipsum scribere.

Secunda pars est, *vehemens*: non enim quaelibet applicatio mentis dicitur sollicitudo, sed quæ est intentia & fortis.

Adhuc hoc non sufficit, nam vehemens applicatio mentis, si aliud non adsit, dicitur studium; sed tertia pars est necessaria, puta, *cum timore coniuncta*. Cum applicamus mentem ad cogitandum, & volendum aliquid, & timemus de consequentione, tunc dicimur sollicitari: unde, qui applicat mentem ad volendum scribere lectionem, & timeret, quod non poterit assequi, dicitur sollicitus. Ista sollicitudo est causa diligentiae & velocitatis ad operandum: unde Isidor. hoc vocabulum, *sollicitus*, dicit deriuari à duobus, *solers*, & *citus*, quasi diligenter motus ad operandum. Est etiam ista sollicitudo, causa cuiusdam inquietudinis, & interioris, & exterioris: ob id Caiet. 2. 2. q. 47. art. 9. aliunde trahit vocabuli originem, à *solum*, & *citus*, quasi loco motus; quia, qui est sollicitus, nescit in vno manere loco. Quamuis hæc deriuatio non sit multum exacta, cum illud, in vocabulo *sollicitus*, sit natura longum, in illo vero vocabulo, *solum*, quod significat terram, sit breue. Est etiam causa ista sollicitudo, vt homo intra se sit cogitabundus, nec externa aduertat; ob id forsan deriuatur vocabulum à *solum*, & *citus*, quasi solus, seu solitarius agat intra se. Quicquid sit, habemus, quid sit sollicitudo & effectus ipsius.

*Quomodo sollicitudo sit peccatum.*

## CAPVT XLIII.

**S**ollicitudo; vt definita est, de se, nec bona, nec mala est; sed & potest esse studiosa & vitiosa, Studiosa est, quando est de re bona, & debitis circumstantijs, quando, & quomodo, & fine quo oportet: vnde in scripturis exigitur sollicitudo ista, tum in his, quæ sunt ad Deum; ad Rom. 12. *Solitudine non pigri, spiritu seruantes, Domino seruientes:* tum in his quæ sunt ad se: Deuteronom. 4. *Custodi te ipsum, & animam tuam sollicitè:* tum in his, quæ sunt ad proximum: ad Ephes. 4. *Sollicitè seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Vitiosa est aliquando sollicitudo, immò & mortale peccatum, & veniale peccatum. In cuius declarationem aliqua sunt aduertenda dicta.

Primum est: sollicitudo de re mala est mala; & quidem, si res ipsa, de qua sollicitamur, est mortalis, ipsa sollicitudo est mortalis; si verò venialis, etiam venialis erit sollicitudo: v.g. est aliquis sollicitus de occidendo inimico, de obtinenda vxore aliena, de rapienda re alterius, est peccatum mortale: est aliquis sollicitus de prodigalitate quadam in conuiuio facienda, de mendacijs iocosis fingendis, de rebus inutilibus sibi, est veniale peccatum.

Secundum est, sollicitudo de re temporali, constituendo finem vltimum in ipsa, est etiam peccatum mortale. Hoc est S. Thom. loco citato. Tunc autem aliquis ponit finem vltimum in re aliqua temporali, quando est paratus potius mortaliter peccare, quàm omittere rem: qui sic ergo est affectus pecunijs & diuitijs, & hoc modo sollicitus est de ipsis acquirendis, vel conseruandis, mortaliter peccat.

Tertium est, qui ex sollicitudine dimittit id, quod tenetur facere, mortaliter peccat, vt dicit sanctus Thomas, si tenebatur facere illud sub præcepto: si verò aliter, venialiter peccat; vt, qui præ nimia sollicitudine omittit audire sacrum in die festo; confiteri, & communicare, quando tenetur, mortaliter peccat: qui verò præ sollicitudine non vacat orationi, aut non attentè, vt decet, diuina officia exerceat, venialiter peccat.

Quartum est, qui timet, quando timendum non est, venialiter peccat; vt, qui præ sollicitudine timet se non assequi-

turum,

turum, quod intendit, etiam positis medijs contententibus, & sufficientibus, venialiter peccat: est enim timor vanus.

Quintum est, qui sollicitus est extra tempus proprium, quo sollicitandus est, peccat ex se venialiter; vt, qui tempore Maii sollicitatur de vindemia. Quamuis sit prudentia respicere & sollicitari de futuro, hoc tamen est, quando in presenti possumus providere futuro: quando vero nihil possumus providere in presenti, aut non debemus, est vana sollicitudo & peccatum. Similiter peccat, qui, dum est in Ecclesia, sollicitus est de familia, & de re; non enim tali tempore sollicitudo hæc assumi debet: omnia enim tempus suum habent.

*De prodicione.*

CAPVT XLIV.

**T**ertia filia Auaritiæ, vt diximus, erat proditio. Hæc autem potest sic describi: *Manifestatio oculi illatini nocu- menti.* In qua descriptione sunt duæ partes.

Altera est, *oculi manifestatio*: prodere enim est manifestare id quod latebat. Tamen non in sola manifestatione consistit ratio prodicionis, vt quoddam vitium est, sed est necessaria altera pars, quod ista manifestatio sit inferens nocuumtum, seu apta ad inferendum nocuumtum ei, cuius occultum manifestatur; vnde, qui manifestat pecunias alterius latroni, vt eas capiat, dicitur ipsum prodere. Similiter, qui ciuitatem alicuius inimico tradit, dicitur etiam prodere. In vtroque autem casu est manifestatio quedam. In priori manifestatione est per verbum, in posteriori, per factum, dum viam capiendi ciuitatem ipso facto aperit.

Fit autem ista proditio quadrupliciter.

Primo, circa personas, cum prodit quis personas, ad nocuumtum ipsis inferendum, quo modo Dalida prodidit Samsonem, & Iudas Christum Dominum. Et hæc est graue mortale.

Secundò, circa res immobiles, vt, qui prodit castra, villas, ciuitates suorum dominorum, qui veri domini illarum sunt. Et hoc est mortale obligans ad restitutionem.

Tertiò, circa res mobiles; vt, qui abscondit alterius pecu-

niam,

niam, vel vestes latroni ostendit, vt rapiat. Et hoc est mortale etiam obligans ad restitutionem.

Quartò, circa secreta; vt, qui alterius secretum aperit in eius detrimentum. Et hoc est etiam mortale, cum res est grauis, & quam celare tenebatur. His modis committi potest proditio: tamen ad maiorem declarationem aliquot dubia in capite sequenti examinare oportet.

*De quibusdam dubijs circa proditionem.*

CAPVT XLV.

**A**liqua occurrunt dubia circa proditionis modos.

Primum est, an, si tyrannus aliquis iniuste detineat castrum, vel ciuitatem, vel villam alterius, liceat alicui Priuatae personae, quae sub potestate ipsius tyranni est, & cui est commissa cura illius castrum, ipsum tradere domino vero, tyranno infido. Ad hoc respondet Anton. 2. p. tit. 1. cap. 22. §. 7. & dicit aliqua,

Primum est, si, qui tradit castrum, facit hoc, cupiditate pecuniae, vel odio & inimicitia motus, vt sine praecipuo, tunc mortaliter peccat.

Secundum, quando id facit zelo iustitiae, licet cum spe pecuniae, non peccat mortaliter, si aliqua adsint conditiones, nimirum.

Prima, vt non sequantur mortes & occisiones hominum in tali traditione.

Secunda, vt non sequantur grauia scandala.

Tertia, vt dominus verus nequeat alia via recuperare tale castrum. His stantibus non esset peccatum; aliquo vero, vel omnibus deficientibus esset peccatum: & quia ferè semper vnū horum est, ob id, raro licet iste casus.

Dicit tertio Ant. quòd si quis etiam, his deficientibus castrum tradat, mortaliter quidem peccat, tamen ad restitutionem non tenetur, quia non rapit alienum à vero domino; immò reddit proprio domino, licet malo & indebito modo. Consentit his Tabien. ver. interrogatio. §. 19. & Armill. v. proditio. Et ita mihi videtur dicendum.

Aliud dubium est, an tyrannum, qui habet obsessam ciuitatem iniuste, liceat alicui priuato per proditionem occidere: v.g. an liceat medico ipsius, aut coco ministrare venenum

occulte, & interficere. Respondent idem Anton. loco citato, præfati Doctores, quòd nullo modo licet, sed esset mortale, nam seruare fidem est ius naturale, quod quidem cum omnibus est seruandum. Non ergo illi sub fide data possunt occulte nocere; quamuis posset miles vnius exercitus, duce concedente, in nocte aggredi contrarium exercitum, cuius causa iniusta est, & inuadere & occidere dormientes, quia nulla illis debetur fides; & ipsi debebant cautè agere & attendere, cum alios inuadant. Et hoc modo licet venenum imponere fontibus, verberantes pereant, cum ipsi iniuste inuadant terras aliorum: sub fide tamen data non licet occidere, sicut nec sub saluo conductu; & sic etiam non licet personæ priuatae inuadere loca & terras Turcarum, & ipsos occidere in domibus degentes, licet infesti & inimici sint nostri. Hinc fit, quòd si in hoc prædicto casu non licet huiusmodi homini occidere in tali modo, quòd etiam nulli alteri liceat consulere tale factum, aut ad id inuadere ipsum aliquo modo.

Aliud dubium est. An si quis esset deliberatus iam occidere per proditionem talem tyrannum, licet alteri promittere pecunias, si faciat & occidat. Antonin. respondet licere: nam hic non occidit, cum iam ille animo decreuerit occidere: sed Armill. verb. proditio. §. 3. negat, & ita negandum est: nam consentit in peccato, & hoc sufficit ad peccandum. Adde etiam quòd iste occidit; nam promissione pecuniæ magis confirmatur animus illius ad occidendum: adeò, quòd posset forsitan retardari, & remoueri ab illo facto, spe tamen pecuniæ non retardatur.

Aliud dubium est, in secretis: An liceat aperire saltem secretum alicuius Tyranni: vt, si haberet obsessam ciuitatem, & vellet occultè inuadere, an liceret alicui militi suo aperire secretum. Dico, si iniuste agit & inuadit, potest manifestari: non enim secretum præter sigillum confessionis, est seruandum in damnum tertij iniustum, & præsertim communitatis: & sic habemus exemplum in scriptura, 2. Reg. 17. de illo Chusi, qui se finxit amicum Absalon, & manifestauit Dauid secretum consilium Achitophelis. Si verò iuste ageret Princeps aliquis contra alterum, tunc non liceret ipsius secretum prodere. Per hoc patet resolutio peccati eorum, qui literas sigillatas alterius aperiant: Est enim mortale, cum res est gravis, quando verò sciunt rem esse leuis momenti, est veniale: Sed tamen periculosum est, nam difficile cognoscitur

scitur huiusmodi leuitas materiae ante apertionem: & si, non cognita, aperiuntur literae, mortale est, nisi in aliquibus casibus.

Primus, quando, qui aperit, probabiliter cognoscit esse in damnum proprium illas conscripserat, vel in damnum tertij, praesertim communitatis alicuius.

Secundus, cum est superior: & sic Praelati subditorum literas aperiunt.

Tertius, cum apertio fit cum rati habitatione; quia speratur rationabiliter, quod ille, cui mittuntur, id ratum habebit, & acceptabit. Haec de prodicione.

### De fraude.

#### CAPVT XLVI.

**Q**uarta filia Auaritiae, est fraus, quae sic describi potest, *Deceptio alterius opere exhibita.* In qua descriptione sunt duae partes.

Altera est, *Deceptio alterius.* Est autem decipere, falsam estimationem in alterius animum inducere, & ille actus, qui, mediante hoc fit, dicitur deceptio.

Altera pars est, *opere exhibita*: nam deceptio aliquando fit solis verbis, & dicitur dolus seu fallacia, aliquando verò fit etiam factis; vt, cum vendo pro libra, quae non est libra: & haec dicitur fraus. Vtrumque autem, tam dolus, quam fraus filij sunt Auaritiae. Sed nunc de fraude agamus. Procedit autem fraus ex astutia, quae est vitium contra prudentiam. In cuius gratiam aduerte, prudentiam esse quandam virtutem, qua circa bonum finem media conuenientia applicamus: disponit enim prudentia media bona ad finem bonum. Cum ergo sint duo in prudentia, & finis bonus, & media bona, duplex ei vitium opponitur.

Vnum est ex parte finis, cum quis intendit finem malum, & huic media proportionata, siue bona, siue mala secundum se aptat: & vitium hoc dicitur prudentia carnis; vt, qui, intendens occidere inimicum, vel committere adulterium, media apta applicat.

Alterum est ex parte mediorum; vt, cum quis bonum aut malum finem intendens, excogitat media mala, sed apta fini, & dicitur astutia. Exemplum est in illo Villico Luc. 16. qui,

vt, ablata villicatione, haberet, vnde viueret, media mala, sed  
 apta excogitauit, nempe remittere debitoribus domini sui par-  
 tem debiti, quod quidem ei non licebat: fuit in hoc astutus:  
 quamuis quia illum finem fecit sibi vltimum, dum postpositum  
 diuinum praeceptum, non defraudandi ipsius consecutionem,  
 fuit etiam prudentia carnis, quia finis fuit malus. Astutia autem  
 solum est in excogitandis medijs: ipsorum verò executio ad  
 dolum, cum verbis, ad fraudem, cum operibus fit, perinet. Eff  
 autem fraus ex suo genere peccatum mortale, & defacto est  
 peccatum mortale, nisi excuserur duplici causa; aut quia ma-  
 teria est leuis; vt, qui fraudem facit in baiocco vel quartino,  
 aut, licet sit in magna quantitate, tamen non fuit intentio de-  
 fraudandi; tunc enim, cum ignorantia interfuit, excusatio est  
 peccati: tamen cum primum veritas cognita fuerit, tenetur,  
 qui fraudem commisit, reddere quod per fraudem accepit;  
 aliter peccat mortaliter, ac si intentionem habuisset, & manet  
 obligatus ad restituendum. Prudentia carnis & astutia mor-  
 tale peccatum sunt, cum circa finem, vel media, quae mora-  
 lia sunt, versantur, alia sunt venialia. De his vide S. Thom. 2.  
 2. q. 55.

*De fraude in emptione, & ratione iniusti pretij.*

C A P V T XLVII.

**Q**uia fraus praecipue in emptionibus & venditionibus  
 committitur, ob id, in particulari de his aliqua tractan-  
 da sunt; cumque multipliciter proueniat fraus in his con-  
 tractibus, prima radix est, ratio pretij. In cuius gratiam no-  
 tandum est, iustum in pretio esse duplex.

Vnum est legitimum, & hoc est, quod lege aliqua taxatum  
 est & definitum.

Alterum est naturale, quod nulla lege est taxatum, sed iuxta  
 rei valorem. Valor autem hic dupliciter sumitur.

Vno modo à communi estimatione bonorum mercatorum:  
 tantum enim valet res, quantum communiter tali loco &  
 tempore aestimatur, vt habetur leg. pretia. ff. ad leg.  
 Falcid.

Altero modo, cum non est res, quae communiter vendatur  
 arbitrio mercatoris alicuius prudentis & intelligentis, vt ha-  
 bet Sylu. verb. emptio. §. 7. De vtroque isto iusto, tam legitimo,

quam

quàm naturali, loquitur Arist. lib. 5, ethicor. cap. 7. Est autem inter hæc duo pretia duplex discrimen.

Alterum est, quòd pretium legitimum consistit in indiuisibili: cum enim sit taxarum lege, vnum & idem est: at naturale non sic; nam non semper communis aestimatio, aut arbitriũ prudentium in vno & indiuisibili pretio conformatur, sed hi pluris, illi minoris aestimant, licet sit in medico differentia, iuxta pretij quantitatem: vnde solent Doctores communiter pretium naturale diuidere in tres partes, in rigidum, medium & infimum. Rigidum est summum, quod in communi aestimatione, vel iudicio mercatorum inuenitur; vt, si vnus diceret, valet centum, alter nonaginta quinque, tertius nonaginta, centum esset rigidum; infimum, quo minus non aestimatur. Inter hoc vtrumque medium est. Omnia ista dicuntur pretia iusta; nec est fraus, modò rigidum, modò infimum, eodem loco & tempore pro re vna exigere, & accipere.

Alterum discrimen est, legitimum pretium manet immobile, nec variatur per augmentum vel diminutionem; at verò naturale variatur. Sunt enim aliquot causæ, quæ variant iustũ pretium naturale.

Prima causa est, copia vel inopia mercium. Cum enim copia multa est mercium, tunc minuitur pretium, quod ante erat iustum, & ex copia fit iniustum; nam iustũ minus est iam. Contra verò, cum est magna inopia mercium, augetur iustum pretium: sed hæc causa intelligitur, cum non interuenit fraus: nam solent mercatores duo vel tres conuenire, & facere monopolium, emendo omnes merces nundinarum, aut abscondentes eas, vt inopia appareat, & augeatur pretiũ; tale autem augmentum est iniustum, & est obligatio ad restitutionem.

Alteri causa, copia, vel inopia emptorum. Cum enim multi sunt emptores, tunc crescit pretium; cum verò pauci, minuitur: nam multitudo emptorum inopiam inducit mercium; inopia verò copiam. Ad hanc causam reducitur aliqui casus.

Primus est, Caietan. verb. emptio. Ea, quæ veniunt sub hasta, vel à proxeneta, vilius possunt emi, quam valeant communiter illa in officina mercatorum: vnde, quod valet centum, potest emi sexaginta, & minoris, dummodò non sit fraus: nam aliqui solent rogare coemptores, ne emant, aut



imponant pretium, vt ipsi vilius emant; hoc autem non licet.

Rursus, etiam potest carius vendi, cum emptores inter se certant augendo pretium, dummodo non sit etiam fraus, vt venditor secretò emptores supponat falsos ad augendum pretium.

Alter casus est, Syluest. verb. emptio. §. 8. cum aliquis mercenarius non habet aliquem, qui conducatur ipsum, & rogat aliquem, vt saltem dimidio pretio, quam alij soleant dare, ipsum conducatur, tunc licitè potest hoc fieri.

Tertia causa est, modus emendi. Vilius enim emuntur merces, quæ simul in magna quantitate emuntur, quam quæ per partes.

*De regula fraudis ratione iniusti pretij.*

CAPVT XLVIII.

**C**onstituto iam, quid sit iustum pretium, oportet nunc aduertere res esse in duplici differentia. Quædam ad vitæ necessitatem, quales sunt, quæ ad victum, vestitum, & huiusmodi spectant: quædam pertinent ad vitæ delectationem & ornatum, vt gemmæ, pretiosi equi, statuæ, canes, accipitres, & alia huiusmodi.

Sit ergo prima conclusio. Res ad vitæ ornatum seu delectationem pertinentes, non habent pretium naturale certum, sed tantum possunt vendi, quantum potest venditor extorquere, citra fraudem vllam: vnde non est iniustitia, accipere quatuor millia aureorum pro statua antiqua, pro gemma, pro alia simili re, dummodo talis sit res, qualis venditur. Ita est Soto lib. 6. de iustitia. q. 2. ar. 3. in fine.

Secunda conclusio: Excedere iustum pretium, siue legitimum, siue naturale, scienter, est mortale, obligans ad restitutionem, cum est notabilis excessus; & hoc tam in venditione quam in emptione: vnde, qui vilius iusto emit; aut, qui carius iusto vendit, peccant & obligantur restituere. Aduerte tamen, quòd non semper in exteriori foro compelletur venditor, vel emptor reddere quod accepit, sed cum est iniustitia infra aut supra mediocritatem iusti pretij; puta, qui emit quatuor, quòd valet decem; aut, qui vendit sexdecim, quòd valet decem: tunc enim rescinditur iste contractus iure ciuili, Cod. de re-

scin-

scienden. vendit. l. 2. & iure can. cap. cum dilecti, & cap. cum causa, de emptio. & venditio. Qui autem vendit supra medietatem, tenetur in foro exteriori reddere acceptum superfluum vel suam rem accipere, & manet emptio apud ipsum. Cum vero res est empta infra medietatem, emptio est emptoris, aut reddendi rem, aut aequandi pretium iustum, vt habet Syluest. verb. emptio. §. 9. In foro vero conscientiae semper tenetur homo, quamuis fraus non sit tanta, ad restitutionem, vt docet D. Thom. 2. 2. quaest. 77. art. 1. & Innoc. cap. in ciuit. de vsuris, & Panorm. in cap. plerique, de immunit. Eccles. & Soto lib. 6. quaest. 6. articul. 1. contra aliquos, qui dixerunt non peccare, cum quis defraudat praeter istam legis taxationem, aut falsum, non teneri ad restitutionem. Sed hoc falsum est, & contra rei naturam: Leges enim ad lites vitandas tantum id permittunt, nec rescindunt contractum, nisi modo praedicto.

Tertia conclusio, qui vendit, potest supra iustum pretium rei exigere damnum emergens in vendendo, non tamen potest vendere vtilitatem, quam, qui emit, accipit supra rei valorem. Ista etiam sunt S. Thom. 2. 2. q. 167. ar. 1. Explico, Petrus habet domum valentem centum, rogatus ab alio, vt vendat eam sibi, ipse non vult, tandem precibus victus vendit; tamen, quia sibi erat multum commoda, & detrimentum patitur ex venditione, potest exigere totum damnum, admonito tamen emptore de hoc. At vero, si nullum damnum patitur, tamen domus est multum utilis emptori, non potest vltra iustum pretium exigere aliquid ratione ipsius utilitatis. Ratio vtriusque est, quia damnum est suum, vtilitas alterius: nullus autem vendere potest, nisi quod suum est.

*De fraudatione rei venditae.*

CAPVT XLIX.

Secunda radix, vnde oritur fraus in emptione seu venditione, est ratio ipsius rei venditae, cum res ipsa vitium aliquod habet, & venditur, ac si non haberet. In cuius gratiam aduerte esse triplex vitium in re aliqua vendita.

Vnum est in substantia, dum, quod non est, venditur pro eo quod est: vt, quod non est aurum, pro auro, quod non est argentum, pro argento; quod non est gemma, pro gemma.

Alterum est in quantitate; vt, quod non est tantum, vendere pro tanto, non libram, pro libra, non modium, pro modio, non cadum, pro cado.

Tertium est, in qualitate; dum, quod non est tale, pro tali venditur, v.g. equus cæcus, pro non cæco, mancus, pro non manco, vinum lymphatum, pro puro, Latinum, pro Græco, & sic de alijs. Horum trium vitiorum eadem est ratio: quæ enim de vno, de alijs etiam dici possunt. Ad cognoscendas autem fraudes ratione rei vitiosæ, aliquot sunt noranda conclusiones.

Prima est, rem vitiosam vendere tanto pretio, quanto si non haberet vitium, peccatum est obligans ad restitutionem, & mortale, si materia non est leuis, & scienter fit. In hac omnes Doctores conueniunt. Vendere ergo equum habentem vitium, puta cæcum, vel mancum, centum aureis, qui tantum solummodo valeret, si vitium non haberet, iniustitia est.

Secunda conclusio, vitium rei manifestum non tenetur venditor manifestare: vnde potest iuste vendere rem vitiosam, dummodo non excedat pretium: accipiendo tantum, ac si non esset vitiosa, licet emptor non aduertat esse vitiosam; vt, aliquis habet equum monoculum, potest vendere pretio iusto, quod valet cum illo defectu, quamuis sciat emptorem non aduertisse esse monoculum. Ista est S. Tho. 2. 2. q. 77. art. 3. tamen contrarium tenet Panorm. capit. iniustum, de rerum permutat. & Contr. quæst. 54. de contractibus: dicunt enim, quod cum venditor videt emptorem ignorare vitium, debet eum admonere, licet manifestum sit. Sed mihi in hac parte videtur distinguendum. Aut enim emptor poterat aduertere, & ex negligentia non aduertit, aut non poterat aduertere, quia impotens erat, nimirum cæcus aut inexpertus, quia ignorat quis sit defectus. Si modo priori non aduertat, puro non esse iniustitiam vendere, nec obligari ad restitutionem, facta rei venditione, sed solum ex charitate; & si vitium est in magnum detrimentum emptoris, erit mortale contra charitatem, aliter erit veniale. Modo verò posteriori tenetur de iustitia, ac si vitium esset occultum, vt dicemus statim.

Tertia conclusio, Quando vitium est occultum, non sufficit pretium iustum petere, quantum cum vitio valet, sed est manifestandum in tribus casibus.

Primus, quando illud vitium est in damnum emptoris: v. g. vendit aliquis equum militi cum vitio occulto, quod periculosum est in bello, tale vitium est manifestandum, quia est in damnum emptoris, qui pro bello emit equum. Similiter, vendit quis vinum quod scit parum duraturum, volenti emere ad conferuandum, enetur manifestare, neque sufficit iustum petere pretium.

Secundo, cum res erit inutilis emptori, verbi gratia, Pharmacopola vendit scammonem, quæ licet non nocebit, tamen non erit vilius vsus infirmo; vendit autem pro alio utili, quod petit emptor, iniuste facit, quamuis pretium rei iustum exigat.

Tertio, cum cognoscit probabiliter venditor, emptorem emere ad reuendendum; tunc debet manifestare vitium: nam vendet emptor ille rem tanto pretio, ac si non haberet vitium. His casibus occultum vitium est manifestandum: alias, est mortale peccatum ex genere suo obligans ad restitutionem.

Aduerte tamen vnum, ex sancto Thoma, loco citato, quod non sat est, vitium manifestare in genere, & in vniuersum: aliquando enim astuti homines, vendentes equum habentem aliquod occultum vitium, dicere solent: omne vitium habet, est cæcus, est claudus, est talis & talis, & numerant verum defectum: hoc autem non sufficit; nam virtualiter negant vitium occultum, dum affirmant vitium, quod videt emptor non esse. Debet ergo vitium clare, & distincte aperiri.

Quarta conclusio. Quando nullum horum trium est, & causa rationalis existit, nullumque mendacium intercedit, licet vendere rem iusto pretio, non detecto vitio occulto. Ista est Soto lib. 6. questio. 3. artic. 2. & deducit eam ex S. Thoma: verbi gratia, est aliquis qui iusto pretio non potest vendere vinum, vel propter iniquitatem iudicis, vel propter emptorum malitiam, qui conueniunt inter se, vt pauci emant, ad remittendum pretium, vel propter aliam causam rationabilem, tunc iste potest minuere mensuram, aut parum aque miscere, & vendere pro puro, ac pro completa mensura, iustum exigendo pretium, dum modò non dicat mendacium; quod si dicat, non erit perniciosum, nec mortale, nec obligans ad restitutionem.

Similiter, aliquis habet sericū Granatense, quod verè æquat bonitatem alterius serici, tunc, si nō potest vendere iusto pre-

tio, licet pro eo serico, quod petitur, vendere, non tamen menti-  
tendo, vt diximus. Eodem modo, licet aliquando Latini  
pro Græco vendere, & alias similiter merces. Adverte ta-  
men, quòd non licet hac intentione merces emere, vt vedan-  
tur pro alijs, sed empras licet sic vendere, tali causa rationabi-  
li existente.

Quinta conclusio: Emptor tenetur manifestare venditori  
ignoranti rem venditam valorem ipsius: verbi gratia, rusticus  
vendit gemmam magni valoris vili pretio, ex ignorantia,  
emptor cognoscens tenetur ei veritatem aperire, & dare va-  
loris iustum pretium, aliàs peccat, & obligatur ad restitutio-  
nem. Non tamen est eadem ratio de eo, qui emit vineam al-  
terius, in qua scit magnum thesaurũ, & non manifestat, donec  
emat, & possideat ipsum: hic enim licitè id facit, nec tenetur  
manifestare, vt habet S. Thom. 2. 2. quæst. 66. art. 5. ad secundum  
& Syluester verb. inuentum, §. 2. & Soto lib. 6. quæst. 3. artic. 2.  
Et ratio est, quia, cum venditur vinea, vel emitur, sola plani-  
ties est, quæ venditur, cum his, quæ supra sunt, non autem ea,  
quæ subter sunt. Vnde pretium iustum inde est sumendum,  
non ab his, quæ sub terra occulta sunt. Et quamuis ista senten-  
tia non nihil habeat difficultatis, tamen teneri secure potest,  
propter auctoritatem Doctorum.

*De fraude, ratione modi vendendi*

CAPVT L.

**T**ertia radix, vnde fraus oritur, est ex modo vendendi, vel  
emendi, puta cum res emitur, aut venditur credito, aut  
numerata pecunia. Ad quarum fraudum manifestatio-  
nem, sunt tres regulæ, seu conclusiones notandæ.

Prima est, licet vendere rem summo pretio iusto, cum cre-  
dito venditur; licet que rem emere infimo pretio, cum vel nu-  
merata pecunia, vel anticipata venditur. Explico, diximus su-  
perius, esse tria pretia iusta naturalia vnius rei, summum, me-  
dium, infimum. Dico ergo, quòd potest venditor exigere sum-  
mum pretium, cum credito vendit, quod non exigeret, si nu-  
merata pecunia venderet. Rursus, licet emptori emere vili-  
mo, & infimo iusto pretio, cum anticipata pecunia emit; cum  
tamen res ista emeretur medio, vel summo pretio, si non  
esset

esset talis anticipatio. In hac conclusione omnes conueniunt.

Secunda conclusio: Non licet supra totum iustum pretium vendere rem, quia creditò venditur; nec licet emere infra infimum pretium, quia anticipata pecunia emitur. In hac etiam omnes conueniunt: exemplo sint nobis duo abusus communes.

Alter est mercatorum, qui solent in fine nundinarum, cum res minus valet, propter inopiam emptorum, vendere suas merces creditò, exigendo pretium, quod valebat in medio nundinarum tempore, quod propter emptorum copiam multo maius erat: hoc iniquum est, & obligatur venditor restituere, nec excusatur, quia ipsi merces tanti stant, nec lucratur quicquam; quia, ut bene dicit Soto lib. 6. quæst. 4. ar. 1. merces huic periculo ex se sunt expositæ, ut, & minus, & plus valeant, & aliquando perdat, aliquando lucreretur mercator; neque semper debeat vendi tanti, vel pluris, quanti stant venditori ipsi.

Alter abusus est quorundam, qui videntes rusticos, & laborantes non valentes terras, & vineas suas colere ex inopia, subministrant pecunias, emendo, anticipata solutione, minoris, quam creditur res suo tempore valitura, & sic emunt frumentum, vinum, & alia eiusmodi: quod quidem nullo modo licet, sed est vsura palliata, obligans ad restitutionem.

Tertia conclusio: Res tanti debet vendi, aut emi, quanti valet, aut valitura probabiliter creditur tempore, quo res ipsa traditur. Hæc conclusio est radix præcedentium, & per eam multorum casuum solutio habetur. Explico, aliquando non traditur simul res, & rei pretium, sed prius vnum altero, tunc pretium iustum sumendum est à tempore, quo traditur res, ut valeat tantum, quantum probabiliter valitura creditur tempore illo. Ex hoc patet solutio huius casus: Aliquis in mense Ianuario, cum modius frumenti valet, verbi gratia, tria scuta, emit frumentum tradendum mense Augusto; si creditur probabiliter, quod valebit tunc tria scuta potest modo emere, anticipata solutione, tribus scutis pretio taxato, &, siue res minus, siue plus tunc valeat, nihil refert, fat est, quod empta est probabili pretio tunc futuro, licet sit minus præfenti. Ita deciditur iste casus, capitulo nauiganti, de vsur.

Alius

Alius casus est; Multi mercatores vehunt frumentum in nauibus ad aliquam ciuitatem, in qua valet modius sex aureis; accedente tamen tanta copia, valebit tribus: tunc, si vnus mercatorum hoc prouidens praecurrat, & citius proueniat, & vendat tanto pretio, antequam alij venientes sint in causa diminutionis, licite id potest facere, nec admonere tenetur: vendit enim frumentum pretio tunc existenti, cum res traditur de futuro enim non tenetur curare. Ita habet S. Tho. 2. 2. qu. 77. art. 3. ad. 4.

Hoc etiam modo soluitur alius tertius casus. Si quis Princeps vellet taxare, & moderari mercium pretia, & v. g. post tres dies, diuulgabitur pretium, potest aliquis mercator hoc sciens, vendere merces maiori pretio tunc currenti ante illam taxationem, nec admonere futurum; non tamen licet ei, qui mandatum habet à Principe, vt tali tempore pretium taxet, differre, donec suas merces vendat.

Soluitur etiam quartus casus, Aliquis vendit merces, soluetas post sex menses, quæ quidem, futura est solutio, magis valebunt, quàm modo, cum traduntur, non licet huic vendere pretio futuro, sed praesenti. Hoc tamen intelligitur, quando ille alias non erat seruaturus suas merces, vsque ad illud tempus; nam, si seruaturus erat, & precibus emptoris cogitur vendere, potest exigere pretium probabile futurum, & pacifice licet postea minus valeant.

Et sic intelligendus est casus, capitulo nauiganti, de Vsuris, vbi videtur absolute iste casus concedi, sed limitandus est, iuxta capitulum in ciuitate, de Vsuris, quando merces erant seruandæ, & ita tenet Soto lib. 6. quæst. 4. art. 2. quamuis Caietan. 2. 2. quæst. 78. articul. 1. distinctionem metaphysicam imagineatur, quæ parum, aut nihil ad res morales has facit. Soto tamen loco citato, limitat prædictam regulam limitatione bona, & notanda. Sunt. n. aliquot merces, quæ non possunt vendi, nisi credito, alias enim nõ posset iustum percipi pretium; vt fit in serico apud Florentinos: vehitur enim magna copia serici: quod, si venderetur soluta pecunia, vilius iusto venderetur, propter paucitatem emptorum: ideo solet vendi credito alijs mercatoribus, donec ipsi reuendant, & habeant unde soluant. In his pretium iustum potest exigere a tempore solutionis pecuniarum: quod enim probabiliter creditur tunc merces vendituras, potest exigere, siue tunc plus, siue minus valeant. Rursus, sunt merces, quæ aliter vendi, aut emi nequeunt, nisi an-

tricipata solutione, quales sunt merces lanarum: non enim aliter mercatores possunt eas habere, nisi anticipando solutionem, qua pastores possunt pascere oves, & expensas suas facere. In his pretium iustum est sumendum à tempore solutionis, non à tempore, quo lanæ traduntur. Hoc tamen non licet in alijs mercibus, nisi in his, quæ aliter contractari nequeunt.

*De quibusdam dubijs.*

CAPVT LI.

**D**ubium vnum occurrit, an liceat, cum res credito venditur, supra iustum pretium exigere lucrum cessans, ratione pecuniæ numeraræ: verbi gratia, est mercator vendens suas merces, quæ valent centum, si venderet numerata pecunia, exponeret negotiationi centum hæc, & lucraretur plura, an liceat exigere ab emptore illa centum, quæ merces valent, & lucrum cessans? Anton. 2. part. titul. 1. capit. 8. §. 2. omnino negat, sed putat esse vsuram. Soto libr. 6. quæstion. 4. articuli. dubitat; tamen inclinatur in partem Anton. at Richardus & Caietanus, quos ipse citat, tenent licitum esse. Mihi videtur, cum distinctione procedendum. Aut enim venditor sponte vendit sua, aut rogatus ab emptore, cum alijs ipse habeat emptores, qui emant numerata pecunia, modo priori non licet, posteriori vero licitum est: nam tunc videtur iam damnum emergens, cum iste posset merces numerato vendere, damnum autem emergens, vt superius diximus, potest exigi.

Aliud dubium est, an liceat supra istud pretium exigere aliquid ab emptore, ratione periculi, cui exponuntur merces, cum credito venduntur, certior enim habetur pecunia præsens, quam futura. Medina C. de restitutione, quæstion. 38. tenet licitum esse. Conrad. verò, quæstion. 59. de contract. & Soto, loco citato, negant. Concedunt quidem posse exigi aliquid ratione expensarum, quando timentur dictæ expensæ probabiliter futuræ; vt, qui vendit homini solito non soluere, quin prius coram Iudice sepè compareat, potest vltra pretium mercium aliquid exigere, ratione periculi probabilis expensarum: tamen propter nudum periculum, quod in ipso credito est, non licet. Hoc mihi videtur securius, & tenendum; nam

aliàs



alias aperiretur porta ad vsuras: posset enim tunc in omni mutuo aliquid exigi, ratione periculi talis; & tunc vsura fieri, consequeretur intentum.

*De emptione cum pacto reuouendi.*

CAPVT LII.

**Q**uarta radix, unde oritur fraus in emptione, & reuouitione, est, cum res non simpliciter venditur, aut emitur: puta, cum sic venditur, quod obligatur emptor, quod suam accipiat pecuniam, iterum reuouere rem venditori, & hic contractus dicitur emptio, seu venditio cum pacto reuouendi, & licitus est ex se, & solet etiam apponi conditio, nisi intra sex, vel tot annos venditor redimat, sit emptio omnino: & hoc etiam licitum est. Res autem sic emptio minus valet, quam cum emitur simpliciter, & sine pacto: nam emitur res cum tali onere, quamuis minus sit istud onus, cum apponitur predicta conditio, vt redimatur intra tot annos, alias redimi non possit. Ad iustitiam huius contractus duo exiguntur.

Vnum est, vt qui emit, intentionem habeat emendi; nam alias esset vsura, & mutuum virtuale cum lucro: nam accipit capitale postea, & lucrum rei emptæ: & maxime cognoscitur intentio emendi, cum ob necessitatem fit. Aliqui etiam volentes vilius emere, quia non aliter possunt, tali vruntur contractu; hic autem in immobilibus sic rebus, vt domibus, vineis, &c.

Alterum est, vt, cum reuouitio fit, non plus accipiat a venditore, quam fuit, quod ei datum fuit. His stantibus duobus, non est fraus in huiusmodi contractu.

*De negotiatione.*

CAPVT LIII.

**N**egotiatio quædam emptio est: est enim emptio ad reuouitionem rei inuariatæ ordinata. Emere enim ad reuouendum, est negotiari, non quocumque modo: nam alii emunt rem, sed non, vt emunt, vendunt, sed mu-

tando

tando rem: vt, qui emit ferrum, & vendit clauos, emit lignum, & vendit scamna. Hoc autem non est negotiari est emere rem, & ipsam sic manentem vendere; vt, qui emunt vinum, frumentum, mel, vt iterum vendant. Negotiatio necessaria est in republica: non enim omnes regiones abundant omnibus; sed in quibusdam hæc, in alijs illa alia reperiuntur: vnde conueniens fuit, esse homines, qui ab vno loco in locum alium transportarent rem eam, quæ ibi esse non potuit, nisi per negotiationem. Potest autem fieri illicita negotiatio multis modis.

Primò, ratione finis: Negotiatio enim propter solum lucrum turpis est, vt habet S. Thom. 2. 2. quæst. 37. art. 4. Lucrum enim, nisi in finem bonum ordinetur, ex se bonum non est: negotiari ergo propter ipsum solum, & non propter sustentationem familiæ, vel alium bonum finem, peccatum est ex se veniale.

Secundò, ratione personarum: non enim clericis licet negotiari, vt habetur dist. 88. per totam.

Tertiò, ratione eorum, cum quib. negotium fit. Est etenim mortale peccatum, & excommunicatio in Cæna Domini, vendere Turcis, & fidei inimicis arma, ferrum, puluerem, ligna, & alia huiusmodi, quæ ad bella necessaria sunt.

Quartò, ratione temporis: non enim in diebus festis negotiandum est, vt habetur c. 1. de ferijs.

Quintò, ratione loci: non enim in templis, & locis sacris negotiandum est: quod Dominus significauit, cum ementes, & vendentes flagello eiecit à templo. Ita habetur c. decet, de immunit. ecclesiarum, in 6. vnde, si essent nundinæ, & aliæ negotiationes tumultuariæ, esset mortale in templo negotiari, alias esset veniale.

Sextò, est illicita negotiatio, quando fit in communitatis detrimentum, solent enim aliqui ex frumento necessario ad communitatis vsum, aut ex vino, vel oleo, aut alijs emere, ad conseruandum, vt alio tempore vendant: vnde in causa sunt, vt sit eorum inopia, neque inueniant pauperes, vnde emant ad sui sustentationem, & sic mirum in modum augentur pretia. Talis negotiatio est pessima, & nociua Reipublicæ, essentque huiusmodi homines relegandi. Quando verò esset magna abundantia, vt etiam abundarent post satisfactionem cuiusque necessitatis, posset tunc talis negotiatio licita esse; aut quando aliquis ex proprijs terris illa colligeret, liceret seruare

in aliud

in aliud tempus. Similiter etiam licitum est emere ab his qui necessitate aliqua vendunt, nec habent facile emptores, ad iterum reuendendum, ut Romæ faciunt Iudæi, & in alijs locis multi faciunt, ementes libros, & vestes veteres, & alia huiusmodi.

Septimò, potest esse negotiatio illicita in pretio. Quamuis enim liceat istis negotiatoribus plus exigere pro mercibus, quam sibi in alijs locis, vel temporibus steterint, ratione modi vendendi, quia per minutum vendunt, vel ratione laborum, & expensarum, tamen non licet immoderatum exigere pretium, supra id, quod tali loco communis æstimatio recipit; nec excusantur aliquando, quod sibi tanti merces steterint: nam, ut supra diximus, his periculis exposita debet esse negotiatio. Aliquando etiam fiunt inutiles, & imprudentes expensæ, & harum ratio non habenda est in augendo pretium. Vide de negotiatione Soto lib. 6. quæst. 2. art. 2. & Summistas, ver. negotiatio. Atque hæc satis dicta sint de fraude.

De mendacio.

CAPVT LIV.

**A**Lie tres filie Auaritiæ supersunt, nempe periurium, fallacia, mendacium. De periurio autem diximus satis in octauo præcepto, lib. 5. Infr. Fallacia autem est fraus in verbo, ut diximus superius, & de hac ferè eadem, quæ de fraude dicenda sunt: cum enim est in damnum notabile proximi, mortale est; secus, est veniale ut plurimum. De mendacio autem nunc pauca dicenda sunt, nempe, quid mendacium, quotuplex, & quale peccatum. Mendacium potest sic describi: *Verbum falsum cum intentione fallendi*. In primis dicitur, *Verbum*; nam mendacium propriè est peccatum oris: & per verbum, non solum vocem, sed scripturam, quæ loco vocis datur, intelligimus.

Rursus dicitur *falsum*, vbi nota, quod verbum dupliciter potest dici falsum.

Vno modo, quando aliter per ipsum enunciat res, quam ipsa sit in se; ut, si quis dicat, Papa non est Romæ, falsum dicit verbum; nam non enunciat rem, ut est, cum verè sit Papa Romæ.

Altero modo dicitur falsum, cum aliter enunciatur res, quam homo, qui profert verbum in suo corde, existimat; vt, si ego putans Romæ esse Papam, dicam, Papa non est Romæ, dico falsum. Et aduerte, quod aliquando stat dicere falsum modo priori, & non hoc posteriori: si enim ego putans Papam non esse Romæ, cum tamen sit, dicam; Papa non est Romæ, dicam falsum modo priori: non posteriori. In hac igitur definitione solum sumitur modo posteriori: non enim est mendacium dicere, quod non ita est, sed dicere aliter, quam homo putat, siue sit, siue non sit ita in re: ob id dicitur mentiri; quasi contra mentem ire.

Tertium verbum est, *cum intentione fallendi*: Qui enim aliter, quam sentit, proloquitur, alterum fallit, & fallere intēdit: non etenim sic profert, nisi vt diuersam opinionem in animo alterius generet: hoc autem est fallere.

Est autem mendacium triplex, perniciosum, officiosum, iocosum.

Perniciosum est, quod est in damnum, & detrimentum alicuius.

Officiosum, quod potius est in vtilitatem alicuius.

Iocosum, quod nec in detrimentum, nec vtilitatem alicuius est.

Dico ergo primò, omne mendacium, vniuersaliter loquendo, est peccatum; ipsum, etiam officiosum, quod videtur mendacium minus culpabile, adhuc est peccatum.

Dico secundo, omne etiam mendacium, si cum iuramento fiat, est peccatum mortale: est enim periurium, quod in quamcumque materia est mortale.

Dico tertio, perniciosum mendacium ex genere suo est mortale, & de facto etiam est mortale, nisi excusetur leuitate materiæ: cum enim est leue detrimentum, fit veniale: aut etiam nisi excusetur indeliberatione: quando enim homo non fuit plene compos sui in mendacio tali proferendo, etiam est veniale.

Dico quarto, mendacia officiosa, & iocosa esse venialia, si sunt sine iuramento.

## De Luxuria filiabus.

## CAPVT LV.

**Q**Via in lib. 5. instructionis, supra sextum præceptū, multa diximus de luxuria, ob id superfedendum huic tractatui censemus: solum dicam de filiabus ipsius, quas illic prætermisimus; de quibus vide S. Thom. 2.2. q. 113. art. 5. & Gregor. lib. 31. moralium. Hæ autem sunt octo, nimirum, cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, amor huius mundi, horror futuri sæculi.

Pro quarum intelligentia aduerte; Primò, animam nostram quamvis vna sit, habere varias potentias, tam cognoscitivas, quibus cognoscit, quam appetitivas, quibus appetit: maximè autem hæ in duas diuiduntur partes, & in potentias superiores, purè intellectum, & voluntatem, & inferiores, purè sensus corporis, tam interiores, quàm exteriores, & appetitus hos sensus consequentes. Cùm autem omnes hæ potentie in vnica fundentur, seu ab vna moueantur anima, fit, vt, dum intente vna potentia operatur erga suum obiectum, altera nullo modo, aut remisse operetur erga suum. Hoc experientia ostendit: Auditum enim multum occupato in audiendo, visus vix videt quæ sunt ante se: similiter sensu interiori occupato in imaginando, sensus exterior nullo modo, aut remisse sentit. Hoc etiam fit respectu potentiarum superiorum: cum enim istæ occupatæ sunt, inferiores parum sunt suis obiectis intentæ: & contra, his multum erga res corporeas intentis, superiores turbantur, & vix erga sua obiecta operantur.

Aduerte secundo, quanto potentia magis delectatur in obiecto, tanto intensius, & fortius operatur erga ipsum; & consequenter aliæ potentie remisse operantur, & rapiuntur ab illa. Cum igitur, inter omnes corporeas delectationes, primum locum obtineat carnalis, & luxuriosa delectatio, hinc est, quod ipsa facit partem sensitivam, & corpoream fortissime, & intensissime intentam in tali obiecto, vnde delectatio procedit: parte autem hac multum occupata in suo obiecto, consequens est, vt superiores potentie perturbentur, & ratio remissior fiat, & debilis in operando, ex eo, quod rapitur, & absorbetur ab inferiori parte. In hac ergo turbatione rationis, & remissione

sione

sione consistunt filiæ luxuriæ. Est enim duplex potentia superior, intellectus, & voluntas. Intellectus autem ipse quatuor habet actus.

Primus est, simplex cōsideratio, quā apprehendit finem bonum, & secundum rationem.

Alter est, consilium, quo disquirat media, quibus cōsequendus est finis.

Tertius est, iudicium, quō iudicat de vnoquoq; qualis sit.

Quartus est, imperium, quo voluntati ea, quæ facienda sunt, proponit, vt ipsa præcipiat potentijs executiuis, vt faciant.

Omnes hi quatuor actus turbantur ex ipso raptu potentiarum inferiorum. Intellectus enim fit ineptus ad considerationem finis boni, dum rapitur ad cogitanda, quæ carnis delectationem faciunt, & hæc est cæcitas mentis.

Rursus fit ineptus ad consultandum de medijs ad finem bonum, & hæc est præcipitatio, qua homo non curat vti consilio in bonis, ex mentis occupatione in carnalibus.

Rursus remittitur iudicium, & examen rei, dum non curat, quale sit, quod faciat, & hæc est consideratio.

Rursus fit debilissimus homo ad exequenda bona apprehensa, & cognita, nec vires in eo habent bona proposita, quæ aliquando proponit facienda: & hæc est inconstantia. Omnes hæc filiæ sunt contra quatuor præcipuos actus prudentiæ enumeratos. Vnde bene dixit Aristot. 6. Ethic. quod intemperantia destruit prudentiam: est enim præcipua intemperantia, luxuria. Hinc sequitur, quam perniciosum sit hoc vitium hominibus contemplatiuis, Rectoribus, Gubernatoribus, Regibus, Principibus, Iudicibus, literatis, & his, qui maxime prudentia vtuntur, & intellectu.

Ex parte etiam voluntatis sunt aliæ filiæ. In voluntate enim sunt duo actus: est volitio, qua homo vult bonum finem; & volitio, qua vult media ad talem finem. Hæc etiã duo turbantur.

Nam rapitur voluntas ad volendum, quod sensus vult, & peruertitur finis bonus; & hinc insurgit amor sui, dum homo, quæ sibi delectabilia sunt, vult; & consequenter est odiū Dei, id est, quædam auersio animi a Deo, quæ, si perueniat ad consensum plenum, vt odio habeatur Deus, est mortalissimum peccatum.

Rursus rapitur etiam voluntas erga media, vt ea velit, quæ

ad propriam delectationem carnis ordinantur, & hinc insurgit amor sæculi, & mundi huius, & futuri horror, quo ei displicet futura vita, dum vellet permanere in mundo, in quo delectationes suas habet. Atque hi actus, si plenus consensus voluntatis sint, sunt mortalia; si verò imperfecti quidam actus, & indeliberati, venialia. Priora verò circa intellectum tunc sunt mortalia, aut quando finis vltimus in creatura ponitur, aut quando prætermittitur ex inconsideratione, aut præcipitatione, aut alijs aliquod diuinum mandatum. Hæc sufficiant de his filiabus.

*De Ira, quid, & quoruplex sit.*

CAPVT LVI.

**Q**uartum vitium capitale est Ira: hæc autem potest sic describi. *Est appetitus vindictæ.* In cuius gratiam aduerte, iram non solum homini, qua parte homo est, & animam habet rationalem, conuenire, sed etiam ratione partis sensitivæ, in qua cum animalibus alijs conuenit; unde ira, quæ in alijs animalibus reperitur, etiam homini conuenit.

In ira ergo communi hominibus, & animali, hæc tria reperiuntur.

Est primò apprehensio alicuius mali illati, difficilis ad repellendum: non enim animal irascitur, nisi cum sensu percipit aliquod malum sibi illatum, vel proximè inferendū, quod non potest facillè repellere à se.

Secundò, est quædam sanguinis ebullitio, & feruor circa cor: cum enim congregantur spiritus vitales in corde, ad adiutorium ipsius animalis, contra malum illatum, sanguis aduentu spirituum calidorum, feruet, & ebullit.

Tertio, est quidam appetitus, seu potius appetitio inferendi malum ei, à quo est sibi malum illatum: & hoc quidem ad releuandum malum illatum; & hoc tertium propriè est ira: ob id, definita est, *appetitus esse vindictæ*: hæc ira est irrationalis, que quidem contingit homini in parte sensitiva, aliquando ipso nolente, & contradicente. Altera ira est soli homini propria, quæ in parte rationali, puta, in voluntate accidit, & in hac duo concurrunt.

Alterum

Alterum ex parte intellectus, putà, perceptio alicuius mali, & iniuriæ illatæ.

Alterum ex parte voluntatis, putà, volitio repellendi tale malum, & inferendi malum ei, à quo malum sibi illatum est: atque hæc volitio, quæ dicitur appetitus rationalis vindictæ, dicitur, & est ira; quæ quidem, vt plurimum cõiuncta est cum ira sensus, & motione corporis: non enim mouetur pars superior, quin pars etiam inferior, & sensitiua moueatur. Dicitur ira ab eundo, quasi homo per iram extra se eat: vnde, qui escere ab ira, dicitur in mentem redire.

Huius iræ solent tres species assignari ab Arist. 4. Ethico. & Damasc. libr. 2. de fide, cap. 16. & S. Thom. 2. 2. quæstion. 158. & ab alijs communiter. Species autem sunt hæc, ira, iracundia, & furor.

Ira, dicitur appetitus vindictæ, cito insurgens, & cito etiam desinens: sunt enim homines, qui facili ex causa irascuntur vehementer, & cito sedantur; & isti dicuntur ab Aristot. acuti: & inter animalia bruta, aliqua sunt similis conditionis.

Iracundia verò, est ira permanens, vnde dicitur à Damasceno, *μᾶνις*, à verbo Græco, *μᾶνω*, id est, maneo quasi manens, quia homo diu permanet in apprehensione mali illati, & appetitum vindictæ. Et hos vocat Aristot. amaros: & inter animalia sunt aliqua, quæ huiusmodi sunt, & hæc memoria polent.

Furor vero est, quando manet quidem memoria mali illati, sed appetitus vindictæ nequaquam insurgit, nisi tẽpore conuenienti, cum se potest homo vindicare: & dicuntur hi ab Aristot. difficiles: & inter animalia sunt multa huiusmodi, & maxime illa, quæ astuta, & generosa sunt.

*Quando Ira sit peccatum.*

CAPVT LVI.

**A**Duertendum est, iram, quæ in parte sensitiua hominis est, ex se non esse peccatum, cum non sit ex libertate procedens; nec etiã est meritoria, ob eandem causam. At verò, cum consensus hominis accedit, seu ex consensu voluntatis procedit, tunc potest habere rationem boni, vel mali, sicut ira rationalis.



Vnde aduertant homines cholericus, qui cito inflammantur, & prorumpunt in appetitus vindictæ irrationabiles, & inordinatos, quod non peccant, saltem mortaliter, nisi cum voluntas liberè consentit, aut cum sunt ita negligentes, vt, cum possint frænare tales appetitus, non frænent, nec cohibeant. Dixi autem iram habere rationem boni, vel mali, cum ex libera voluntate est, quia non semper ira est peccatum: aliquando enim est virtus, cum secundum rationem rectam irascimur contra dæmonem, à quo malum accepi mus. Irascimur autem inferendo ei malum, dum in nullo ei acquiescere decernimus. Irascimur etiam contra peccatum, ipsum à nobis relegare conantes. Aliquando ira est peccatum, & hoc in quinque maxime casibus.

Primò, ex parte eius, cui irascimur, cum non est dignus illo malo, quod per iram volumus ipsi inferri.

Secundò, cum, etsi dignus est malo, tamen non tanto.

Tertiò, cum, etiam si tanto dignus sit, tamen præter ordinem inferri volumus; vt, qui per se ipsum mortem vult inferri occisori fratris sui: quamuis enim dignus sit, tamen non est rectus ordo talis.

Quartò, quando, etiam si omnia ista seruentur, tamen non est debitus finis: non enim ex iustitiæ zelo, vel amore virtutis, sed potius ex odio personæ id volumus. In his quatuor casibus ira est mortale peccatū ex genere suo: & verè est mortale, cum est materia grauis, nec deest plenus rationis consensus.

Quintò, his quatuor seruatis, putà, quod subiectum sit dignum malo, & tanto, & seruetur ordo, & finis, adhuc potest esse peccatum iræ ex parte motus sensitivæ partis, cum est nimia perturbatio: & hoc ex se veniale est.

*De filiabus Iræ.*

CAPVT LVIII.

**I**Ra sex habet filias, indignationem, tumorem mentis, clamorem, contumeliam, blasphemam, seu maledictionem, & rixam. In quarum declarationem aduerte, iram tres habere status.

Primus enim concipitur interius tantum.

Secundus exterius aliquo signo manifestatur.

Tertius ad opus pertinet, in quo vindicta consistit. Hi status

significatur Matth. 5. per illa verba, *qui irascitur fratri suo, qui dixerit racha*, hæc enim vox, interiectio est iram manifestantis, *qui dixerit fatues*: iam enim per tale verbum iniuria afficitur frater. Ratione horum, duas habet virtutes contrarias.

Nam ira interior opponitur mansuetudini: hæc enim virtus frenat motus, & concitationes, & appetitus interiores ad vindictam, ne insurgant, aut immoderate insurgant.

Rursus ira opponitur clementiæ, ratione exterioris actus: clementia enim animum iam concitatum cohibet, ne exterius procedat ad vindictam: vnde Cicero dixit, animus concitatur ad puniendum, per clementiam retinetur. Qua parte ergo ira interius consistit, duas habet filias, indignationem, & mentis tumorem.

Indignatio est, qua homo indignum reputat sua familiaritate, & colloquio cum, a quo malum accepit, & hæc mortale est in tribus casibus.

Primus, cum in tantum proceditur, vt homo paratus sit non iuuare proximum illum, etiam in his, in quibus tenetur de præcepto.

Secundus, cum adest contemptus interior personæ.

Tertius, cum scandalum notabile sequitur ex tali subtractione ab amicitia, & conuersatione. Extra hos casus, est veniale.

Tumor mentis, est audacia quædam, qua homo insurgere audet, ad vindictam sumendam, ex qua variæ cogitationes in mente sequuntur, quibus homo cogitat modum vindictæ, & iuxta peccatum, quod est in vindicta, sic etiam erit in hoc tumore.

Qua parte verò ira in signo exteriori consistit, oriuntur tres filie.

Clamor, qui est inordinata, & confusa loquutio, & ex se veniale est, nisi ob scandalum fiat mortale.

Contumelia, id est, verbum iniuriosum.

Blasphemia, id est, maledictio in Deum, vel proximum: de quibus dixi in instructione satis.

Qua parte autem ira est in opere, habet filiam rixam, sub qua est bellum, & vulnera, & contentiones, & alia huiusmodi. Hæc sufficiant de Ira.

*De Gula, quid sit, & qua eius species.*

## CAPVT LIX.

**Q**uintum capitale vitium, est gula. Hæc autem sic describi potest: *Est appetitus inordinatus cibi, & potus.* Cibus, & potus ad corporis sustentationem ordinantur; quando igitur isti sumuntur propter hunc finem, modo, & circumstantia debitis, non est vitium, sed potius virtus. Quando vero aliquid horum prætermittimus, tunc inordinatio fit, & est vitium gulæ.

Hæc autem gula, vt habet Greg. 20. lib. moralium, & S. Tho. 2. q. 148. quintupliciter committitur.

Primò, circa substantiam cibi, & potus, cum præter modum sunt pretiosa, & lauta.

Secundò, circa quantitatem, cum quis vescitur, vel bibit supra id, quo indiget.

Tertiò, circa qualitatem, cum cibos delicatos nimis, & exquisitos quærit.

Quartò, circa ipsam delectationem gustus, cum nimis com- placet in gustus delectatione.

Quintò, circa tempus, cum indebito tempore sumuntur cibus, & potus.

Huius gulæ duæ sunt species.

Altera, quæ in cibo immoderato consistit, & dicitur comessatio, & crapula.

Altera, quæ in immoderato potu, & dicitur ebrietas: de quibus meminit Paulus ad Galat. 5. ponens has inter opera carnis.

*Quale peccatum sit Gula.*

## CAPVT LX.

**G**ula, tam quæ in cibo, quam quæ in potu consistit, in sex casibus est morale peccatum.

Primò, quando aliquis in his ponit vltimū finem, iuxta illud Pauli; *Quorum Deus venter est:* nimirum, cum homo nihil quærit aliud, quam comedere, & bibere; ita vt potius sit paratus committere quodcumque peccatum, quam pati defectum in cibo, & in potu.

Secundo, quando ex appetitu cibi & potus homo prætermittit id, quod ex aliquo præcepto tenetur facere; vt, qui diebus prohibitis vescitur carnibus, & diebus ieiunii non seruat ipsum; & qui, vt cibis lauis & pretiosis fruatur, se facit impotentem ad debira soluenda creditoribus; aut non succurrit grauibus vel extremis necessitatibus proximorum; aut filias in debito statu non collocat.

Tertio, cum damnum aliquod notabile corporis sibi infert; vt, qui ob nimium cibum vel potum incidit in febrim: vel alteri, & sic ministrat causam: & hoc, si aduertenter facit, aut saltem cum debuisset aduertere: nam si experius est sibi talem cibum, vel alteri multum nocere, quamuis non aduertat, à culpa non excusatur. Quando vero damnum non est graue, tunc erit veniale; vt, infirmus patiens febrim, si bibat aquam, quam scit futuram causam alicuius augmenti, solum venialiter peccat, sicut etiam, qui ei ministrat.

Quarto, quando graue scandalum datur proximo: vnde si alij grauius scandalizentur ex cibi vel potus alicuius superfluitate, tenetur sub mortali cauere à tali gula: de quo scandalo dicebat Paul. se non manducaturum carnes in aeternum, si sciret fratrem suum inde scandalum accepturum.

Quinto, quando cibus vel potus est contra naturam: vnde, vesci carnibus hominis, aut humanum bibere sanguine, mortale peccatum est, vt habet Caier. 2. 2. q. 148. art. 2. & Nauarr. in summ. c. 23. nu. 130. Estet tamen hoc licitum ob infirmitatem, vel in graui aliqua necessitate, cum iam homo occisus inueniretur: non tamen liceret occidere propter hoc, in nullo casu. Ita limitant præfati Doctores.

Sexto, quando timetur probabiliter ex nimio potu aliquod peccatum mortale; vt, qui se scit multum in luxuriam procliuem, & peccare, cum modum non seruat, tunc mortale peccatum est gula. Si quis tamen cognosceret se nocturnam pollutionem passurum ex potu vel cibo inordinato, si non assumeretur hoc sine, & propter talem pollutionem in cibus, non esset mortale, sed veniale, vt alias diximus in 6. præcepto. In his casibus est mortale, in alijs veniale vt plurimum est peccatum, vt communiter docent Theologi

& Summistæ, verb.

gula.

## De ebrietate, quale sit peccatum.

## CAPVT XLI.

**C**irca ebrietatem, id est, actum illum, quo quis in potu vitur, ut vsum rationis ad tempus perdat, sunt aliqua dicta notanda.

Primum est, quando aliquis sciens se vsum rationis perditurum, seu in ebrietatem venturum, adhuc potum talem sumit, mortaliter peccat. Ita habet S. Thom. 2. 2. quaest. 150. art. 2. quia damnum notabile sibi infert, nempe amissionem rationis.

Secundum, quando sciens alterum in eandem ebrietatem lapsurum, ei potum ministrat etiam ob eandem causam, mortaliter peccat.

Tertium, quando aliquis expertus est alias se, vel alium, quoties tanto, vel tali potu vitur, inebriari, peccat mortaliter sumendo, vel ministrando.

Quartum, quando hoc fine, nempe, ut inebrietur, aliquis potum sumit, vel alteri ministrat, mortaliter peccat.

Quintum, quando ebrietas non est perfecta, sed imperfecta, quae turbat aliquo modo rationem, sed non omnino, tunc est graue veniale. In his omnes conueniunt: sunt tamen aliquot dubiola.

Vnum est, an liceat ob sanitatem inebriari. Paucos puto casus, in quibus ebrietas ad sanitatem obtinendam necessaria sit; tamen si aliquis sit, dubitatur, an liceat talem sumere, vel ministrare potum. Ang. verb. ebrietas, tenet, non licere, sed esse mortale. At Sylu. verb. ebrietas, & Caiet. 2. 2. q. 150. art. 2. tenet licere. Mihi videtur, cum Syl. & Caiet. dicendum, licitum esse, ad tempus velle amittere vsum rationis, ut postea melius & diuturnius possit recuperari: tamen id licitum erit duabus positis conditionibus.

Prima est, ut alia via, vel medicina non possit recuperari salus.

Altera est, ut in illa ebrietate non timeatur aliquod damnum, puta, quod ebrius blasphemet, vel aliud committat malum: tunc enim non liceret, aliàs esset licitum hoc.

Alterum dubium est, an actus mali, quos ebrius facit in ebrietate existens, sint peccata; ut si fornicetur, si occidat, vulneret, &c. Ad hoc respondent S. Thom. 2. 2. q. 150. art. 4. Caiet. verb.

ebrie-

ebrietas, & ibidem Syl. Et responsio in his consistit. Quando ebrius extra culpam suam factus est ebrius, tunc nullam contrahit culpam, per quoscumque actus malos in ebrietate factos. Quando culpabilis fuit ebrietas, tunc, si solitus erat alias inebriari, esse furiosus, & vulnerare, vel blasphemare, vel simile facere, tunc peccat, non solum ebrietatis peccatum, sed etiam alia peccata noua, quæ probabiliter timebantur in ebrietate: & tunc iste peccat, quando etiam peccat ebrietatis peccatum, siue fiat postea, siue non. Et dicit Syl. quod si occidat in ebrietate, fit irregularis, quando solitus erat alias esse furiosus, & diximus: quando verò non erat solitus talia mala facere, nec timebantur, tunc non sunt noua peccata, sed ebrietatis peccatum fit grauius.

Aliud dubium est, si validi sunt contractus ebrii. Sylu. verb. ebrietas, respondet, quod non, & ita est: vnde nec valet matrimonium, nec alij contractus; nec, qui in ludo lucrantur ab ebriis, possunt lucrum retinere, sed tenentur ad restitutionem: ebrius enim, tempore ebrietatis reputatur vt amens.

*De filiabus Gulæ.*

CAPVT LXII.

**Q** Vinque sunt filiæ gulæ, de quibus vide S. Thom. 2. 2. q. 148. putà mentis hebetudo, inepta læritia, multiloquiū, scurrilitas, & immunditia.

Mentis hebetudo potius poena est quàm peccatum; fit enim ingenium hebes, & ineptum ad percipiendum & iudicandum ex nimio cibo & potu. Esset quidem peccatum, quando homo aduertenter ita fieret ineptus, vt non posset vacare his, quæ præcepto tenentur facere, vt habet Ang. ver. hebetudo; vt, si medicus deberet tali tempore studere pro aliqua re graui & infirmo necessaria, & ipse se ita replet, vt non posset attendere. Similiter de Aduocato & Concionatore dicendum est in his casibus vrgentibus.

Altera nlia est, inepta læritia, qua homo congaudet in his, quæ nullam delectationem ex se sunt apta facere. Etiam hæc ex se veniale peccatum est, nisi sit materia mala, & quæ faciat mortale.

Tertia est, multiloquium, & loquacitas, quæ ex se veniale

est, nisi

est, nisi sit mista cum contumelijs & infamijs contra proximum vel blasphemijs contra Deum.

Quarta est, scurrilitas, nempe verba vel facta inhonesta, vel ad risum prouocantia. Et hæc, si fiant causa delectationis venereæ, mortale peccatum est; si verò solum ad risum prouocandi veniale graue est.

Vltima est immunditia, qua quis vsq; ad vomitum vescitur, & hæc est veniale: quamuis enim aliquis vsq; ad vomitum vescatur, vel bibat, nisi sequatur aliquod damnum notabile corporis, vel scandalum, non est mortale: immò etiam, quamuis aduertenter hoc faciat, vt euomat, vt Caiet. verb. gula, & Nauarr. cap. 23. num. 127. dicunt, contra Angel. verb. gula, qui contrarium tenet.

*De inuidia, & quid sit.*

C A P V T LXIII.

**S**extum capitale vitium est Inuidia. Hæc autem sic describitur a S. Thom. 2. 2. q. 36. *Tristitia de alieno bono, in quantum proprie excellentie est diminutiuum.* In qua descriptione sunt duæ partes.

Altera est, *tristitia de alieno bono.* Est enim inuidia vitium, quo bonum proximi nobis displicet, & de ipso tristamur, volentes non esse tale bonum: non tamen quæcumque huiusmodi tristitia est inuidia, sed quæ procedit ex hac causa, & moriuo, nimirum, quia nobis videtur per bonum alterius nostram gloriam & excellentiam minui, dum nobis æqualis fit maior per tale bonum: ob id additur posterior illa pars in definitione, *vt proprie excellentie est diminutiuum.* Est enim inuidia inter æquales, vel eos, qui ferè æquales reputantur: ob id dicitur inuidia, quasi non videre: inuidus enim non vult alterius videre bonum, nec ipsum inuidiosum coram se, ne bonum, quod displicet, videat. Aduertendum autem est, quòd multiplexer contingit aliquem tritari de bono alterius.

Primò quidem, quia aliquod malum inde prouenturum putat, vt, qui dolet de electione alicuius in dignitatem, quia sibi mors vel damnum aliquod inde proueniet, & hæc tristitia est affectus, seu effectus timoris.

Secundò, tristari potest aliquis de alterius bono, quia ipse caret

caret

caret eo; vt, quia videt hominem doctum, tristatur de illo bono, non quia in altero sit, sed quia ipse eo caret: & hæc tristitia est æmulatio.

Tertio, tristari potest de bono alterius, quia cum tali bono indignum iudicat; vt, qui tristatur de malorum prosperitate temporali, quia indigni sunt: & hæc est indignatio. De quibus vide Arist. 2. Rhetor.

Quarto, potest tristari, quia malum illi vult: quando enim volumus alicui malum, bonum eius nobis displicet, & hoc est odium.

Quinto, potest tristari de bono alterius, vt propriæ excellentiæ est diminutiuum: & hæc tristitia inuidia est, vt diximus.

Sexto, potest tristari, quia illi maius bonum vult; vt, tristantur boni de bono temporali malorum, quando illis occasionem ad peccatum futuram vident: & hæc tristitia ex charitate est.

Septimo, potest esse huiusmodi tristitia ex iniustitia; vt, qui dolet de beneficio collato indigno, quia iniuste datum est: & hæc ex zelo est. Cum ergo multis modis accidat tristari de bono alicuius, vno tantum contingit inuidia; ob id in definitione duæ partes positæ sunt, prior communis est alijs præter inuidiam; posterior autem propria est ipsius.

*Quale peccatum sit tristitia ex timore.*

C A P V T LXIV.

**N**on solum de tristitia, quæ inuidia est, sed de alijs etiam oportet considerare, qualiter se habeant. Illa ergo tristitia de bono alterius, quia inde malum timemus, quod ad timorem pertinet, aliquando est peccatum, aliquando non: ob id, sunt noranda tria dicta.

Primum est, quando timemus malum iniuste inferendum ab alio, ob bonum ipsi collatum, & nobis certum est tale malum prouenturum, iustum est tristari: vt, eligitur in iudicem homo, qui committit iniustitias multas, & mihi probabile est commissurum esse, licet mihi tristari de tali potestate ei data. Ratio & signum huius est, quod si ego haberem potestatem priuandi tali potestate illum, in tali casu liceret. Licet ergo est, tristari de bono alicuius, quo licite possemus eum priuare,

si in



si in nobis esset potestas, ob illam causam, propter quam tristamur, ut dicit Caiet. 2. 2. q. 36. ar. 2.

Secundò, quando malum, quod timemus, iuste ab illo inferendum est, tunc tritari de bono, malum est: v. g. Eligitur in iudicem homo rectus, qui vitia exterminabit, & castigabit malos iusta pœna, si quis ob timorem tritaretur de potestate illi concessa, malè faceret: quamvis enim liceat timere ipsum malum, non tamen licitum est ob timorem hunc, displicere, & tritari de bono illius; sicut neq; liceret ob id priuare illum tali bono. Huiusmodi autè tristitia, si esset ex consensu voluntatis pleno, & esset de magno bono, esset peccatum mortale, sicut inuidia, ut dicemus.

Tertiò, quando malum timemus, iniuste quidem inferendum, tamen non est nobis certum; tale malum prouenturum, sed leui suspitione colligimus; tunc talis tristitia est mala, sicut esset malum etiam, in tali casu priuare illum tali bono. Per hoc possumus iudicare in alijs multis casibus similiter.

*De emulatione.*

CAPVT LXV.

**A** Emulatio est tristitia de bono alterius, quatenus nos eo priuati sumus uti diximus. De hac autem tria etiam dicta sunt notanda.

Primum est, cum bona, quæ æmulamur, sunt spiritualia, & ad animæ salutem pertinentia, talis æmulatio sancta est & licita: ut, video hominem pœnitentem, deuotum, religiosum, contristor ex tali bono, non quia in illo sit, sed quia in me non est, hoc licet, immò laudatur à Paulo 1. Cor. 12. *æmulamini charismata meliora.* 1. Cor. 14. *sectamini charitatem, æmulamini spiritualia.*

Secundum, quando bona, de quibus tristamur, sunt temporalia: si nobis sunt proportionata, licitum est tritari, sicut etiam licitum esset desiderare talia: verb. gra. aliquis non habet, quo possit familiam sustinere, videt alios sibi æquales habere, tristatur de hoc, quia simili sustentatione priuatur, bonum hoc est.

Tertium, quando bona sunt temporalia, sed homini tali improportionata, tunc tritari bonum non est, sicut neq; desiderare; ut, si mediocris homo tristetur, quia non est Rex, quia

non est Papa, & hoc veniale est ex se. Quando autem appetitur in malum finem temporalia, tunc tristitia omnis mala est, & tantum peccatum, quantum est desiderium talium bonorū ob illum finem.

Indignatio autem est, qua tristamur de bono alicuius, quia indignus est tali bono: & hoc locum habet in temporalibus. Et attende, quod non loquimur, quando ista indignatio est contra iustitiam, & qui dolet ob hoc, dolet, quia iniustitia committitur, de hoc enim dicemus post; sed de eo qui dolet, quia videt huiusmodi temporalia collocata in hominibus indignis & non ob alium finem dolet. Huiusmodi indignatio, vt dicit S. Tho. & Caiet. loc. cit. si non aliud habet, quam quod dictum est, mala est, & ex se veniale; nam cum id, de quo dolet, nec sit malum culpæ, nec pœnæ, videtur quodammodo arguere Deū & dolere, quasi iniustitia sit ex parte datoris. Est ergo mala talis indignatio; & si prorumpat in id, quod Deum arguat, quod iniustus sit, & male distribuat, est grauißimum mortale peccatum & blasphemia. Hæc indignatio Psal. 36 reprehenditur, *Desine ab ira, inquit, & relinque furorem.* Si autem talis indignatio sit, quia mali abutuntur bonis, vel alio bono fine, iam ad aliam tristitiam pertinet hoc, vt dicemus.

*De odio, inuidia, & tristitia bona.*

C A P V T LXVI.

**T**ristitia, quæ ex odio procedit, iudicanda est ex ipso odio. Cum enim malum alicui volumus propter ipsum subiectum & personam, quæ inimica est nobis, tunc peccatum est; & si malum est graue, & odium ex libera voluntate, mortale est, secus, veniale. Simili modo se habet huiusmodi tristitia, quæ, si de bono graui, & ex libertate sit, mortale est, secus autem, veniale. Inuidia autem secundum S. Tho. & omnes Doctores ex genere suo mortale est, & de facto est mortale, si duæ adsint conditiones.

Vna est, cum est voluntatis consensus: sæpè enim solum est quidam motus in parte sensitua, aut voluntate, sed subitus, & ferè naturalis, quo homo tristatur de bono æqualis; & tunc ad summum, est veniale: nam mortale exigit voluntatis plenum consensum.

Altera est, quod bonum, de quo tristamur, sit graue: cum

enim

enim leue est, vt pueris solet accidere, qui in leuibus lo-  
lent socijs inuidere, veniale peccatum est. Reliquæ duæ tristi-  
tiæ, quæ ex charitate & iustitiâ sunt, bonæ sunt. Licet tritari  
de sanitate alicuius, quia occasio est illi peccandi mortaliter:  
in quo casu licet illi malum velle, & infirmitatem ob bonum  
maius. Licet etiam tritari, quia dignitates dantur indignis, &  
violatur iustitiâ. Licet tritari, quia viuunt Hæresiarchæ, &  
aliorum corruptores; & licet illis mortem desiderare, ne alios  
infectant; & ne alijs tantum malum inferant. Ex his multorum  
casuum resolutio patet.

*De filiabus inuidiæ.*

CAPVT LXVII.

**Q**uinque filiæ inuidiæ assignantur, odium, suffurratio,  
detractio, gaudiū in aduersis proximi, & afflictio in pro-  
speris.

Odium est, quo alicui malum volumus ob malum ipsius,  
& non ob aliquod bonum eius, vel alterius: & hoc peccatum est,  
de quo diximus in lib. 4. instructionis.

Suffurratio est, qua famam auferimus in occulto.

Detractio verò, qua in manifesto: & de his diximus in l. 5.

Gaudiū in aduersis proximi, peccatum est; & si malum  
proximi, de quo gaudemus, graue est, & gaudiū sit ex ratio-  
nis consensu, mortale est.

Afflictio in prosperis, est tristitia de bonis proximi. Inuidus  
enim duas habet tristitias.

Alterâ est, de bono proximi, prout per ipsum videtur pro-  
pria minui excellentia; & hæc est ipsa inuidia.

Alterâ est consequens: nam inuidus vellet nihil boni acci-  
dere inuidioso, & bonum eius impedire conatur, salte deside-  
rio. Quando ergo et tale bonum euenit, quia contra inuidi  
voluntatem euenit, affligitur & tristatur: & hæc tristitia est fi-  
lia inuidiæ, vt habet S. Tho. loco citato; & est peccatum

eo modo, quo gaudiū in aduersis. Hæc  
fatis sunt de inuidia.

(...)

*De Acedia, quid sit.*

## CAPVT LXVIII.

**V**ltimum capitale vitium, acedia est. De qua primùm percipere oportet, quid sit. Potest autem sic describi: *tristitia de bono spirituali, vt ad ipsum hominem attinet.*

In cuius declarationem aduerte, bonum spirituale vocari hominis beatitudinem, quæ in fruitione Dei consistit; & ea bona quæ ad ipsam consequendam ordinantur; vt, charitatem, virtutum opera, diuina præcepta, sacramenta, & alia huiusmodi. Hæc bona tripliciter possunt considerari.

Vno modo, vt à Deo procedunt, vt ab omnium bonorum principio, & auctore. Alio modo, vt in proximis nostris sunt. Tertiò, vt ad nos ipsos etiam pertinent.

Aduerte rursus, quòd, cum per charitatem non solum diligamus Deum, sed etiam proximum, & nos ipsos; & charitatis sit, gaudere de bono illius, quem charitate diligimus, fit, vt charitas inclinet nos ad gaudendum de huiusmodi bonis, secundum illam triplicem considerationem.

Primò quidem, vt à Deo sunt: qui enim diligit Deum, gaudet de bono opere ab ipso Deo procedente, quatenus eius potentia & bonitas, iustitia, sapientiaque manifestantur. Similiter qui diligit proximum, gaudet de bono spirituali ipsius, quatenus per ipsum bene se habet, & disponitur ad suum finem consequendum, vel quia iam ipsum est consecutus. Qui etiam diligit se propter Deum, gaudet consequenter de tali bono spirituali, quod ad ipsum pertinet, & gaudet se ad Deum ipsum ordinari per tale bonum, propter quem scilicet Deum diligit semetipsum. Aduerte rursus, iuxta triplicem eandem boni spiritualis considerationem, quòd triplex potest esse tristitia in homine de tali bono, & vnaquæque est contra charitatem, vel qua diligendus est Deus, vel qua diligendus est proximus, vel qua ipse se debet diligere propter Deum.

Prima tristitia est, qua homo contristatur de bono spirituali, vt à Deo est, quasi nolens ipsius manifestationem & gloriam; & ista tristitia est pessima, & nascitur ex odio Dei, quod est grauissimum peccatorum, & maximè in damnatis reperitur.

Secunda tristitia est, qua homo tristatur de tali spiritali bono, ut est in proximo, quasi nolens ipsum proximum tali bono præditum. Et hæc est graue peccatum; & dicitur inuidia gratiæ fraternæ; & est vnum ex peccatis contra Spiritum factum, quæ dicuntur non remitti, quia difficile remittuntur. Talisque inuidia, ex genere suo, est mortale peccatum; & ad sit consensus rationis, & grauitas materiæ, de facto est mortale.

Tertia tristitia est, qua homini displicet bonum spirituale, qua parte ad ipsum pertinet, quasi nolendo & fastidendo se capacem talis boni, & se ad id ordinari: tristatur enim de beatitudine, de diuinis præceptis, de sacramentis, de bonis alijs spiritualibus, quasi volens, ne ad ipsum pertinerent. Hæc tristitia dicitur acedia, qua homo velut nauseam habet rerum spiritualium: & nascitur præsertim ex duplici capite.

Vno quidem ex nimio affectu, quem homo habet rerum temporalium, & huius mundi delectatione.

Altero, ex terrore laborum & studiorum, quibus spiritalia bona sunt consequenda. Et hoc secundum, ex priori nascitur: nam per prius perditur gustus spiritualium: gustu perditto, statim res laboriosa fit; ut in his, qui vescuntur cibis nullum saporem habentibus. Acedia autem nomen est Græcum; *ἀκνδία* enim dicitur sine labore, aut sine cura; nam *κνδ* Græcè curam vel laborem significat: vnde Latine dicitur acedia, illo *a* mutato in *e* longum. Aliqui putant esse nomen Latinum deriuatum ab *acidus*, *a*, *um*, id est frigidus; quia sicut frigida non facile mouentur, ita accidiosus ex nimia tristitia torpescit: hæc enim nomina ab affectu sumuntur: sed melius puto dici, quod diximus, putà esse Græcum. Vide S. Thom. 2. 2. quæst. 35.

*Quale peccatum sit acedia.*

#### CAPVT LXIX.

**A**cedia, ut habet S. Thom. loco citato, ex genere suo est mortale peccatum, cum sit contra charitatem, ut superius declarauimus. De hac dicitur 2. Cor. 7. *Tristitia huius seculi mortem operatur*, fit tamen veniale dupliciter.

Vno modo, quando non accedit plenus rationis consensu.

157

sus, sed sistit solum in parte sensitiua, aut in ratione imperfecta: suboriuntur enim aliquando quidam motus, & tristitiæ internæ, quibus homo plenum non adhibet consensum; tunc in his non est mortale, sed ad summum veniale peccatum.

Altero modo, quando, etsi ratio consentit, tamen materia est leuis: tunc autem dicitur materia leuis, quando homo non verè tristatur de bono spirituali secundum se, sed de eo, ratione alicuius circumstantiæ loci & temporis; vt, qui contristatur de ieiunio, quia tali die obseruandum est: qui tristatur de concione, quæ tali tempore fit; tamen absolute non contristatur de his, quasi nolens esse concionem, esse ieiunium, & alia huiusmodi: frequenter in his est tantum veniale. Quando verò acedia est de ipso bono spirituali absolute, & ex rationis consensu, tunc est mortale. Solet etiam acedia esse peccatum, ratione effectuum suorum: sed iam hoc potius ad filias ipsius, de quibus modo agendum est.

*De filiabus Acediæ.*

CAPVT LXX.

**S**unt filiæ acediæ, desperatio, pusillanimitas, torpor, malitia, rancor, mentis euagatio.

Desperatio quidem est, qua homo diffidit se finem consequiturum supremum: hæc autem facillè oritur ex acedia, qua homo velut à se respicit talem finem. Est autem desperatio peccatum mortale graue, cum ex consensu rationis pleno fit: quando verò solum est quidam motus imperfectus, veniale est.

Pusillanimitas est, qua homo non audet diuina cõsilia, quæ perfectionis sunt, exequi: & hæc veniale est ex se.

Torpor verò est, quo negligit homo se, & omittit facere, quæ ex præcepto tenentur: & hic mortale est.

Malitia autem est, qua homo odio habet ipsa bona spiritualia in se, quia vellet ea non esse; aut, qua etiam pœnitet hominem benè fecisse, & impleuisse, quæ tenebatur facere; aut contemnit Dei beneficium, desiderando, non fuisse natum, & cognouisse Christum, dolendo, &c. Et hæc est mortale.

Rancor est, quo homines, qui inducunt ad spiritualia, vt religiosi, concionatores, & alij huiusmodi, sunt ei fastidio, &

cos auerfatur : & hic est veniale, nisi coniungatur cum odio, quo eis malum notabile deliberatè desiderat.

Euagatio mentis, est defectus intentionis, quæ rebus spiritualibus exequendis & exercendis est adhibenda : & hæc ex se veniale est, nisi cum exigitur ex præcepto aliquo talis attentio; vt, in recitandis horis Canonicis, quando homo obligatur recitare, & in audiendo sacrum diebus festis: in his enim rebus euagatio mentis esset mortalis, si notabilis esset, & culpabiliter, seu ex negligentia haberetur.

Sed de his satis diximus in instructione.

*Solutio gen. Paderb.*

Finis tractatus septem peccatorum mortaliū. Laus Deo,  
Gloriosæq; eius Genetrici.

